IOANNIS AB INDAGINE

INTRODUCTIONES APOTELESMATICÆ IN

Physiognomiam,
Complexiones hominum,
Astrologiam naturalem,
Naturas Planetarum.

CUM PERIAXIOMATIBUS DE FACIEBVS SIGNORVM ET CANONIBVS DE ægritudinibus hominum:

OMNIA NVSQVAM FERE EIVSMODI tractata compendio:

Quibus ob similem materiam accessit

GUILIELMI GRATAROLI BERGOMATIS OPVSCVLA

De Memoria reparanda, augendæ, conservanda:
De Prædictione morum naturarumque hominum:
De Mutatione temporum, ejusque signis perpetuis.

ET POMPONII GAURICI NEAPOLITANI Tractatus

De Symmetriis, Lineamentis & Physiognomia, ejusque speciebus, &c.



ARGENTORATI,
Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI,
M. DC. XXX.

Ex libris C. A. Dilcher

INTRODUCTIONIS IOAN. INDAGINE LIBER PRIMUS.

DE CHYROMANTIA.

De Manus distinctione.

CAP. I.

GRÆCI Chyromantiam vocant divinationem, quæ ex manus inspectione colligitur. Et jam diu, atque adeo apud veteres quoque in usu fuisse, antiquissimus ipsius vocabuli usus arguit. Scripturus autem ejus rei observationes, necessarium puto ipsam primum hominis manum describere, ejusque partes designare, quo deinde facilius cognoscantur ea quæ de vaticinio (ut ita dicam) manuario præcipiemus.

Manus passa

Palmæa

Pollex.

Vola.

Index.

Medius.

Et manus quidem passæ) sic enim appellabimus extensam, ac complanatam) interior illa planicies, palma est. In cujus medio relictum concavum, vola dicitur. Inde manant digiti quinque, quorum primus grossior ac rubustior, quòd cæteris præpolleat, pollex, undi pollicare, quod ad pollicem pertinet. Proximus index vocatur: quòd indicando aliquid extenso eo utamur. Qui deinde sequitur, ab eo quod inter quinque medius est, medietatis vocabulo censetur. Vocaturque alio nomine Medicus: quoniam eo utuntur medici locis infamibus. Et verpus, à vertendo: qua deinde voce Iudæos infamandi studio, & qui sic crebrò utantur, eo digito notamus, Verpos dicendo. Vt Iuvenalis.

Eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad frontem solos deducere Gerpos.

Etiam contemnentes aliquem, medium plerunque digitum exerimus. Vnde & proverbio loco factus, cùm aliquem despicientes, medium illi digitum ostendere dicimur. Post hunc à minimo proximus Annularis est, sic dictus, quod aureo annulo circundari soleat, præsertim is qui in sinistra manu est. Cujus rei eruditi homines rationem scripserunt, quod in sectis humanis corporibus inventum sit, nervum quendam tenuissimum ab eo digito ad cor hominis protendi: unde visum antiquis, eum digitum annulo quasi corona circundari. Vel certè ab auri ipsius natura, quo cor vegetari ac confortari ajunt medici. Omnium minimus ac ultimus à quibusdam Auricularis, vel auricularius, quòd eo veluti auriscalpio emungendis auribus uti solemus. Et de digitis hactenus.

Annularis.

Auricularis.

Porrò clausam manum ac compressam, digitis convolutis, pugnum vocamus, cujus summum juxta pollicem est, infimum è regione. Quam manus partem, quia percutiendo corpori alicui admovemus, percussionem manus dici à Chyromanticis jam propè receptum est.

Pugnus.

Tum manus ubi ea jungitur brachio, juncturam manus, vel quia ibi restringatur, ac in arctius exit, restrictam manum dicimus.

Percussio manus.

Habent deinde singula tubera singuli digiti, quæ à radicibus digitorum insurgunt, ac à nonnullis Montes vocantur, inditis planetarum nominibus. Quibus additur prominens illa caro, quæ ad pugni infimum, id est, ad manus percussionem est. Quo fit ut planetis in manu hominis locus sit omnibus. Vnde & vaticinia colliguntur. Nam pollicis tuber Veneris est, & hac nota signatur ♀ Tametsi secus placuit aliis: verùm nos à priscorum tramite minimè discedemus, quos antea polliciti sumus nos imitaturos; τὴν πρόξιν suo solo dicemus, Indicis, Iovis. Et signum habet. ♃. Medii, Saturni hac nota ♄. Annularis, Solis, quod hic character indicat ☉ Auricularis Mercurii,

Restricta. Montes.

Planetarum situs.

curii, sub hac nota ☿. Quòd verò in manus percussione tuber est, Luna occupat: idque sic scribimus ☽. Iam Mars quem locum habeat, paulo post dicemus. Sed prius sectiones manus, quas antiqui incisuras, nostrates lineas appellant, describemus.

Sunt autem præcipuæ & principales hæ. Restricta, quæ ibi est ubi restrictam vocari manum diximus, ac à brachio manum dividit, nam in ipsa penè juncta est linea vitæ, vel cordis, quæ sub tubere indicis, aut juxta, quasi inter pollicem ac indicem orta manum secat, ad restrictam tendens. In eadem manus regione, id est ad indicis tuber, oritur linea quæ per transversam manum ad Lunæ tuber, protenditur: vocaturque linea media naturalis. Atque hæduæ sic ortæ, atque in diversum euntes, trianguli formam incipiunt. Quam deinde, si fuerit, nam in quibusdam non apparet linea tabellaris, vel hepatis, aut linea stomachi (nam iis nominibus eadem sectio denotatur) perficit: ut sit quasi basis trianguli. Oriturq; juxta Restrictam sub tubere pollicis, & præter mediã naturalẽ perfluit ad Lunæ montem. His lineis concluſum spatium Marti damus vocamusque triangulum Martis, hoc adscripto signo ♂. Est & linea Mensalis, quæ sub auriculari, ea parte qua Lunæ tuber exit, orta, Indicem petit, hoc sortita vocabulum, quod inter eam & mediam naturalem, relictum spacium, mensæ figuram arguat. Nam omnino vocatur spacium illud Mensa manus: vel quòd faciat quadram, quadrangulus, appellaturque præterea fortunæ linea. Atque hæ fere potiores sunt manus sectiones, ad quas reliquæ minutiores, tanquam ad principes lineas colliguntur. Sed jam omnes, ut fieri potest describemus, ac quantum ex ipsa arte est, de earum significatione exponemus. At primo de eis dicendum arbitror lineis, quæ à tribus nobilissimis humani corporis membris, denominationem accipiunt, Cordis, Cerebri, & Hepatis. Vt autem in iis Corporum partibus, quicquid præcipuum hominis est vertitur,

Linea vitæ.

Linea mediæ naturalis.

Triangulus Martis.

Linea Mensalis.

ita ab ipsis tribus incisſuris seu lineis, de hominis salute, ac pernicie, & quicquid præter necessarium illi accidere potest vaticinari licet. Quod si cui leviusculum videtur, meminerit & antiquos Pythagoricos, præsertim à lineamentis corporum humanorum mores hominum conjecisse, ac plerunque quod cui eventurum fuerit, prædixisse.

Socratis natura.

Nam de Socrate quid fertur? quem cum quidam ex Physionomia descripsisset, ac hominum omnium qui vivunt impurissimum, ac plane perditum libidine dixisset, ob idque à discipulis ejus, tanquam flagitiosè mentitus reprehenderetur. Respondit Socrates, hæc quidem ita sibi naturaliter inesse, verum se naturæ vitia, rationis norma correxisse, innuens, ea quoque, quæ à natura nobis insunt, consuetudine emendari, & contra ipsum quodammodo fatum obluctari hominem posse. Et peripateticorum princeps Aristoteles, ait manum hominis à natura factam, tanquam instrumentorum instrumentum in humano corpore, & organorum organum. Cum igitur illius officium sit omnibus humani corporis partibus inservire, & omnium membrorum virtus in humana generatione concurrat: valdè consentaneum est, humanæ qualitatis (quam vocant complexionem) signa quædam ac indicia in hominis manu conspici. Ea est omnium inter se membrorum proportio, sic in singulis omnia conveniunt. Quid quod Plinii ætate fuisse jam dum in usu Chyromantiam, ipse Plinius asserit? Officii tamen mei arbitror, interim admonere, quatenus arti concedendum sit, & quid aliunde præterea adiscendum, ne quis putet juxta tam angustos terminos, eam magnæ rei cognitionem includi. Vbi quid ego consueverim, non absurdum arbitror ostendere. Quoties enim percontantibus respondendum est, ipsam quidem primum manum (ut assolet) intueor: sed interim universum juxta corpus, ac omnia ejus lineamenta accurate perspicio: physionomiam (quæ vocatur, & de qua in sequenti libello agam) cum Chyromantia conjungens. Deinde nativitatis horam, vel mensem, diem ac annum. Quo scito, ad Astrologiam naturalem cujus

jus infra scriptis à me libellis rationes pertractabuntur, animum adjicio. Sic plane putans, nihil horum, si secorsum usurpetur, satis esse ad respondendum inquirentibus potiusque me temerarium, si citò respondeam, quàm illos stultos, si facilè credant, judico. Itaque sic ista contenta ac complicata habeo, ut quodquod arripuero, reliqua simul protraham, & omnibus pariter utar. Existimans dementis omnino hominis, inspecta semel manu, de vita ac fortunis omnibus sententiam ferre. Sed jam ad Chyromantiæ leges redeo.





A Linea menſalis, vel fortunæ.
B Linea vitæ vel cordis.
C Reſtricta mulieris.
D Percuſſio manus.
E Linea media naturalis.
F Linea hepatis vel ſtomachi.

A Linea



A Linea Menſalis.
B Percuſſio manus.
C Reſtricta manus viri.
D Linea Hepatis.
E Menſa, vel quadrangulus.
G Mons pollicis.
H Linea vitæ, vel cordis.
I Triangulus.
K Linea media naturalis.

A 5 A Men-

Nomina digitorum secundum Planetas.



A Mensalis imperfecta.
B Soror lineæ vitæ.
C Hepatis & stomachi.
D Soror lineæ naturalis.
E Linea vitæ.

De

De *linea Vitæ.* Cap. II.

LINEA vitæ, quæ & Cordis linea appellatur, incipit, ut dictum est, à monte Indicis per palmæ medium, tenditque eo, ubi restrictam manum appellari voluimus. Quæ si longa fuerit, recta ac vivo quodam colore perlucida, vitam longam & paucis ægritudinibus obnoxiam præsagit. Ipso hoc Plinio adserente qui ait: Contrà longæ esse vitæ incurvos humeros, & in manu una duas incisuras longas habentes, quod de linea vitæ, & media naturali licet intelligere. Quid si virtus naturalis fuerit imbecillis, tunc & discolor, variegata, tenuis, & sæpè obversis rimulis scissa, & brevis apparet linea, vitæ brevitatem, ac adversam valetudinem arguit, & virium parum, ipsumque hominem denotans raro aliquid ad optatum finem perducere. Quemadmodum illa crassior, ac longa, & indistincta, omnia contraria pollicetur. Cujus rei si quis à nobis rationem exigat, dicemus hoc sanguinem ipsum, qui cor vegetat, & quem aliqui animi sedem esse putaverunt, præstare. Certum hoc enim est, ut ille purus, vel impurus fuerit, ita lineam hanc colorem sortitam, obscurum, aut clarum, adeò ut rubicunda ac splendida sit ea, quoties in homine sanguis abundat: & è contra pallens ac livida, ubi ille defecerit. Vnde & imminutus calor naturalis ostenditur, & firmatum corpus, & contrà robustum ac vigens. Tunc si hæc linea fuerit stricta, subtilis, & benè colorata, ac mediam naturalem versus processerit: significat hominem boni consilii, subtilis intellectus, magni ac plane regalis animi. Etsi fuerit lata, & malè colorata, vel pallida, contrarium denotat. Hoc autem semper notandum est, in omnibus lineis principalibus, Quòd si sint rectæ, ac indistinctæ, & bene coloratæ, semper bonitatem complexionis ostendunt. Si verò contrà dispositæ fuerint, contrarium semper arguunt. Item si linea vitæ sit grossa & profunda, & diversi coloris, id est, per puncta rubra pallens, ac livida: malitiam, calliditatem, invidiam, ipsum alioqui hominem garrulum, jactabun-

Longa.

Brevis.

Crassa.

Rubea. Pallida.

Stricta.

Lata.

Grossa.

buadum, ac sibi ipsi placentem. Si eadem linea sit grossa, & valde rubicunda, fallacem hominem, impurum, inconstantem denotat. Si verò livida cum quadam rubedine permixta fuerit, iracundum, & quasi ex ira furiosum virum demonstrat. Si verò valde rubea, cum quadam plumbea lividitate permixta, inconstantem, inverecundum, vagum, proditorem, discordias ac lites ferentem, iracundum, & qui sæpe ad malum incitet. Iam si hæc linea fuerit rubea ea parte qua ad Restrictam protenditur, crudelitatem denotat. Sæpe & bifurcata ea in angulo supremo, instabilem, vagabundum, & in omnibus agendis virum mirabilem ostendit. Quæ si fuerit flexuosa & contra mediam naturalem versus, sed rubra deceptorem, subdolum, peculantem, & perversi animi innuit. Aliquando & crucis signum à linea vitæ tendens ad angulum supremum, cum tribus parvis lineis, in muliebri manu si comparuerit, salacem, pudoris prodigam ac extremè improbam signat.

Si quando in linea vitæ inveniatur quædam crux parva circa angulum dextrum, & hæc crux sit incisa, in manu mulieris, nefariam, sceleros am, ac ultimo aliquando supplicio propter scelus afficiendam. Nam talis crux in prædicta linea vitæ semper malum significat, tam in viro quàm muliere. Si duæ lineæ fuerint juxta lineam vitæ repertæ, in fine tuberis pollicaris, quasi ad latus jacentes, eum hominem brevi moriturum hoc signo conjicio. Si linea vitæ habens ramos extensos versus mediam naturalem in modum hic in margine signatum * divitias & honores, ac perfectionis signum esse dicitur. Si verò jam dictos ramusculos extendit inferius, versus restrictam, hoc scilicet modo * paupertatem, & à servis & domesticis deceptionem, ac eorum infidelitatem semper indicat. Si autem tales ramusculi vadunt directè ad mediam naturalem per triangulum, significat hominem post multa discrimina, & varias fortunæ jactationes, divitias, & bona habiturum. Si verò multæ parvæ lineæ secent lineam vitæ, multas ægritudines prædicunt. Si in linea vitæ sparsim

sim sunt quædam grana, sive puncta: salacem, impudicum, fornicatorem, præterea & contentiosum ostendit. Eritque homo ille in discrimine vitæ propter sanguinis effusionem in seditione, cujus ipse autor fuerit: omnino graviter aliquando vulnerabitur.

Vbi in principio lineæ vitæ oriuntur tres parvæ lineæ tortuosæ eam intersecantes, hoc modo * signum video futuræ lepræ. Nam perversum hepatis calorem ostendit.

Vnde ex jam dictis colligitur, quod si linea vitæ, vel cordis fuerit longa, alta, bene colorata, bonam habens cum linea media naturali ac hepatis & stomachi proportionem, & quod eædem lineæ etiam fuerint quantitatis & longitudinis debitæ, & coloris boni, sperandam esse dicunt longitudinem vitæ, & bonitatem naturæ, ingenii, & complexionis. Nonnunquā in linea vitæ vel capitis unum ⊙ vel ⊙⊙ inveniuntur, & unius vel duorum oculorum amissionem significant. Quod licet perrarò inveniatur, in me ipso tamen, quòd ita sit, expertus sum. Nam in præfatæ meæ manus loco, hujusmodi signum inest. Quod cum video, reminiscor quemadmodū olim in maximum alterius oculi discrimen deveni. Quippe ad ignem sedens hyeme, procidi, ac sinistro oculo in flammam convolutus sum, cruciabatque vehementer. Quanquam non solùm hoc mihi signum illud malum prædixisse invenio, verùm etiam quòd in nativitate Martis ac Lunæ oppositio apparet. Reperioque ortus mei tempore Martem fuisse in signo humano, in Vndecima, ac similiter Lunam in quinta domibus. Quæ constellatio tale aliquid portendere ab Astrologis observatum est. Quo verius hoc comperi, quod prius dixi, has artes quadam inter se necessitudine conjunctas, earumque sine alia aliam posse. Sanè inferiora hæc à superioribus illis gubernari, ac à cœlestibus vires influere, rursum defectus inferri certum est. Vbi considerare licet, quàm sollicita fuerit circa creationem humani corporis rerum opifex natura, quæ de nobilioribus hominis partibus, multis passim judiciis cognoscere homini

Experimentum authoris.

mini dedit. De reliquis non perinde Nam cordis, cerebri, ac hepatis certa sunt in hominis manu signa: quòd in iis maxima sit hominis vita. Oculorum, aurium, oris, manus, ac pedum non ita: quamquam hæc ad decorem magis quam necessitatem facta videantur. Ob idque, tres has lineas omnis semper manus habet, reliquas multæ non habent. Rusticis, propter continuos labores exceptis, quæ ex iis exterminantur. Proinde sæpius à me repetendum est: ita has artes conjungi inter se, ut semper ferè mutuo indigeant adminiculo. Quod ut faciamus palam, velut postliminio ex Astrologia repetamus, & hoc de natura signorum erraticorum, id est, de Planetis, quos sic Græci appellant. Sunt enim illi, qui non solùm corpora hominum, verum etiam ingenia fingunt.

Ingeniorum discrimina.

Nam Saturnus facit maturos, providos, remissos, cupidos, pauciloquos, sibimetipsis placentes. Iupiter placidos, benignos, tranquillos, sobrios & loquendo comptos. Contrà Mars truculentos, immanes, mendaces. Sol pios, ingenuos, faustos, atque elatos. Venus incontinentes, libidinosos, decoros, & gratiæ splendore fulgentes. Mercurius callidos, versutos doctos, scientificos, agiles. Luna acutos quidem, & splendidos, verùm instabiles, & inertes ac pigros. Id in genere dictum de varietate ingeniorum.

Vocum iudicia.

Nunc quo perspicacius videas, quàm longè inter sese dissideant, atque diversos producant effectus, de voce subinferam aliquid. Saturnus tardam dat, atque obstreperam. Mars stridentem. Iupiter sonoram, resonantem, lenem. Venus enervatam, mollem, fœmini iram suaram. Idem faciunt Sol, & Mercurius. Habent & signa suas voces. Nam quæ bonos ex illis tinnitus edunt, sunt Virgo, Gemini, Libra, Aquarius.

Quæ mediocres, Aries, Taurus, Leo, Capricornus, & ultima pars Sagittarii. ἄφωνα, Cancer, Scorpius, & Pisces. Et quidem hoc de voce tantùm. Sunt quæ partum

tum & fœtus fœcundant, atque fœcunda appellantur. Ea sunt, Cancer, Scorpius, Pisces. Quædam sterilia, ut Gemini, Leo, & Capricornus. Ita quicquid humanorum actum est, coaptari signis potest. Nempe earundem promotoribus.

Quod quo minus negari potest, eò altiùs blasphemant, qui Astrologiam non divinam, sed nugatoriam artem esse cavillantur, quos & suis in locis propriis pingemus coloribus, interim redeamus ad institutum.

Si hoc,



Si hoc modo crux circa angulum ſupremum inventa fuerit, procedens ex linea vitæ, & à parte inferiori tres lineæ parvæ, à ſuperiori duæ, ut hîc, in muliere libidinoſam, ac impudicam arguit. Si verò in fine lineæ vitæ, receptam verſus hæ tres lineæ inventæ fuerint, mulierem ob ſcelus ſupplicio puniendam extremo.



Quando parvæ quædam ſuperius lineæ ſcindunt, aut certè tangunt lineam vitæ, in præſcriptum modum, corporis infirmitatem, ac ægritudines prædicunt. Si verò ab alia parte lineæ media naturalis habuerit hujuscemodi ſectiones ab inferiori parte lineæ directè quaſi jacentes, ac ſurſum erectas: malum conjicio, ut dolorem capitis: qui exhalantibus à ſtomacho fumis proveniat, aut talem genuinum morbum aliquem. Tres illæ in fine lineæ repertæ, malum denotant, ut infrà patebit.

De linea media naturali. CAP. III.

Linea media.

LINEA media naturalis vocatur illa, quæ incipit à radice lineæ vitæ transiens per mediam palmam, montem Lunæ versus, vel percussionem manus.

Recta.

Si talis linea sit recta, indistincta, nec obversis scissa lineolis, optimam valetudinem, cerebrumque sanum, ac ingenium vivax, & memoriam tenacem ostendit.

Longa.

Quæ si longa quoque fuerit, & ad Lunæ tuber usque porrecta, animum audacem, ac vitæ longitudinem arguit.

Curta.

Quòd si curta fuerit, ita ut concavum manus non exeat, hominem timidum, tenacem, avarum, imprudentem, præterea & perfidiosum indicat. Et si dicta linea non extendatur usque ad montem Lunæ, seu è regione ejus spacii, quod est inter medium & annularem finiatur, depravatis hominem moribus, sed vitæ non diuturnæ ostendit.

Hemicyclata.

Tum si in formam hemicycli, præter Lunæ montem hæc linea divagata fuerit, ac ad ipsum illud tuber recurvata, quanto quidem productius exierit, tanto vitam longiorem pollicetur, sed in senecta egestatem. Iam si eadem linea qua parte desinit, sursum, ac ad digitos se erigat, impudentem virum, & malitiosum ostendit. Quòd si multum ascendat ad digitos, stultum & insipientem demonstrat. Econtra inferius tendens, ac penè ad receptam manus se demittat, cupidum & impurum denotat hominem.

Recurvata. Tortuosa.

Si autem ex altera parte recurvata sit, & tangat lineam mensalem, damnum aliquod, & adversam fortunam ostendit. Eadem si fuerit tortuosa, non sibi constans, & inæqualis, ac diversi coloris: signum sit pravitatis animi, & nonnunquam furti. Recta autem, & æqualis si fuerit, colorisq; lucidi, & quædam lineæ moveantur ab ea, signum est bonæ conscientiæ & justitiæ. Sed quando media naturalis est lata & grossa, cum quadam rubedine permixta: ruditatem ingenii, & prudentiæ inopiam arguit.

Lata & grossa.

Si quando autem nec angusta nimis, nec ultra modum larga & bene colorata: lætum, hilarem, ac etiam fortem hominem

nem signat. Quinetiam subtilis & tenuis, & livida, vel pallens: debilitatem cerebri, ac ascendentes à stomacho in caput vapores. Et si hæc linea compareat grossa & alta nimis, quædam parvæ lineæ juxta eam sint, cum rubeo colore: iratum, furibundumque hominem ostendit. Rursum si habeat intra se quædam spacia nodosa continua in hac forma, o, quot ibi fuerint nodi, tot homicidia vel jam admissa, vel post admittenda. Qui nodi ubi non omnino revoluti ac clausi videbuntur: grassatoris quidem indicia sunt, non tamen homicidæ: & qui cedat ac vulneret, non planè tamen occidat. In eadem linea puncta quædam crassa ac pinguia, inconditos mores, ac hominem insulsum, & insuavem ostendunt. Quæ puncta si fuerint rubea valde, crudelem ac præferocem hominem demonstrant. Si hæc linea fuerit tortuosa, & per gyrum faciens semicirculum cum quadam obscuritate: à quadrupedibus periculum, vel à feris interemptum iri indicat. Et si juxta sæpefatam lineam fuerint duæ parvæ lineæ conjunctæ (ut infrà in figura manus videbitur) vulnera, non ferro. Item si in eadem linea crux parva è regione medii reperiatur: hominem intra annum moriturum designat. Si quis hanc lineam restrictam versus bifurcatam habuerit, cum quibusdam sectionibus minusculis, is omnes cogitatus suos ad pessima retorquet, ac neque Deum, neque hominem timere videtur.

Subtilis & pallens.

Nodosa.

Punctata.

Tortuosa.

Crux signata.



Hæc ante picta manus figurâ, cum linea media naturali, ut est, incipiens scilicet à radice lineæ vitæ, ac directè per mediam manum transiens absque incisionibus, significat bonum corporis statum, ac cerebri incolumitatem. Et cùm fecerit angulum acutum cum linea vitæ: tenacitatem memoriæ, & æqualitatem ac animi rectitudinem. Si autem fuerit ut in Canone scribitur inæqualis, non exiens manus concavum: virum timidum, avarum, tenacem, & labilem omnino memoriam præsagit.

Si



Si suptà depicta linea media naturalis per gyrum facit quasi semicirculum, cum obscuritate quadam, à quadrupedibus malum, & interdum mortem minatur. Si verò in fine hujus sint duæ lineæ parvæ, ab utraque parte apparentes, vulnera tantum, ac ea ferro inferenda. Si crux parva, parvis secta lineis appareat è regione digiti Saturni, brevitatem vitæ, & corporis imbecillitatem demonstrat. Et magis si quadrangulus in manu defuerit.



Si jam picta manus figura, in linea media naturali hos habuerit nodulos: quot quidem nodi fuerint, tot homicidia admissa, ita tamen quòd nodi illi palleant. Qui si rubicundi sint, homicidam & latronem futurum prænunciant. Si autem tortuosæ incisiones inventæ fuerint in præfata linea naturali, infelicem, & infortunatum hominem auguror. Si crux illa ibi reperiatur, contentiosum, litigatorem, ac discordiæ studiosum eum existimo.

Quando



Quando hæc linea media naturalis tendit ad lineam mēsalem, & in fine sit tortuosa, modo præscripto, maledicum, pavvum, sanguinis effusorem, & qui circa hæc sæpius periclitetur, & aliquando fortè succumbat. Si autem hæc dicta linea habeat clàm incisiones, superbum, loquacem, iracundumque virum denotat. Si crux inveniatur in angulo supremo, ita ut recta sit à tubere pollicis, denunciat probum, & in omne bonum proclive ingenium arguit, & è contra.

De linea Mensali. CAP. IV.

Linea mensalis quadrangularis. Aequalis & longa.

LINEA Mensalis dicitur, eo quòd mensa manus ab ea constituitur. Sic enim appellari diximus spacium inter Mensalem, & mediam naturalem relictum. Vel etiam quadrangularis linea, ex eo, quia cum linea media naturali, quadrangulum penè perficit. Si hæc linea mensalis fuerit æqualis, ac longa satis, alta & recta, bonam naturæ qualitatem, membrorum in homine principalium robur, modestiam, temperantiam, & constantem in bonis operibus animum significat. Et si extendatur ultra medietatem ejus tuberis, quod sub indice est, ita quòd tangat montem Iovis, vehementis iracundiæ, aut etiam crudelitatis signum est. Hæc superius rubicunda, delatorem arguit, ac alienæ felicitatis invidentem. Et si habuerit ramos rectos, tendentes ad locum digiti Iovis, honoris promittit exaltationem, ac magnarum divitiarum accessionem: & pauperem, paulatim ad dignitatis apicem, ac potentiam accessurum præsagit. Sed si hæc linea fuerit nuda sine ramis, protendens ad radicem indicis, infortunatum, ac inopem fore hominem ostendit. Si autem habuerit tres lineas vel in fine quosdam ramusculos, videlicet circa montem Iovis, directè protendentes ad angulum supremum, fortunatum hominem, lætum, jocundum, liberalem, nobilem, modestum, æqui ac honesti cultorem, qui se vestitu oblectet decenti, omnis mundiciei studiosum: ac saporumodorumque varietate gaudentem. In cujus hominis genesi qui consideraverit horoscopum (nempe ubi inveniet Taurum, vel Libram, quibus præest Venus: aut Sagittarium, aut Pisces, quorum Iupiter dominus: aut quisquis ibi planeta erit) rationem hujus rei facilè cognoscet. Et si crux parva in eodem loco reperiatur, virum liberalem, veritatis amatorem, benignum, affabilem, ac omni quodammodo virtute ornatum significat. Et si fuerit juvenis, præcocem barbam. Quòd si hæc linea è regione tuberis, quod sub medio est, exeat, & sine ramis fuerit, mendacem, sibiipsi placentem, inconstantem, fallacem, inverecundum, lites ac discordias seminantem virum demonstrat. Quando autem hæc linea conjungitur cum media naturali, ita quod ambæ faciunt angulum acutum, talis ad multa animi & corporis pericula perveniet, ita quòd aliquando vitæ tædeat suæ.

Ramosa.

Nuda.

Cruce signata.

Et si desit media naturalis, hæc verò conjungitur cum linea vitæ, ita quod Mensalis & Vitæ faciant angulum, eum hominem aliquando capite truncatum iri puto, vel certè mortaliter vulneratum: quicquid erit, ad optatum finem nunquam deveniet. Sed ubi hæc linea dividitur, & una pars respicit lineam mediam naturalem, alia autem montem Saturni, indicium est, hominem eum de vita sæpè periclitaturum: quamquam & servatum iri ex tot discriminibus perspiciam. Eadem linea recta & subtilis circa montem Iovis, id est, loco exitus sui, significat familiæ suæ gubernatorem, & super æquales, fratres, ac propinquos aliquando elevatur, ut iis dominetur. Si autem habuerit incisiones è regione medij, adulatorem, bilinguem, & quem pauci amabunt. Si quædam linea intersecans mensalem, veniet à quadrangulo, & directè ascendat ad montem Saturni, atque ibi aliquam parvam crucem faciat, mortem coactam minatur. Tam magnæ felicitatis indicium est hæc linea, si præter medij tuber, ultra indicis montem progrediatur: quemadmodum & si non attigerit medium, sed juxta ejus tuber exeat, extremæ penè egestatis, ac pluribus passim periculis & calamitatibus obnoxium hominem prodit. Tum si hæc linea habuerit aliquas interruptiones, vel sparsim incisa fuerit, ineptum & inconstantem, ac libidine fractum hominem, & cujus studium erit variè cum mulieribus conflictari, ita ut eas nunc amanter accipiat, nunc iracundè expellat, sæpe etiam verbis objurget, ac verberibus affligat.

Et quoniam hæc linea aliquando reperitur alta, subtilis, & pallida, ad eundem quem dixi finem, pudicum & castum virum: sed imbecillem, & morbis ac ægritudinibus obnoxium. Interim pessimi argumentum est, linea ad me-

diam naturalem orta, quæ ita petat medii tuber, ut prius mensam manus, ac mensalem ipsam rumpat, in fineque bifurcata sit. Præsertim in mulieribus ea disciplicet. Quæ verò à vitæ linea venerit sectio, ac eodem quo dixi tetenderit: cui mulieri ea inest, aliquando partum necasse proprium autumo. Quæ tamen sectio ex obliquo ad montem Iovis devoluta, ei mulieri plurimas hereditates prænunciat. Et si magis quàm aliæ rubicunda ea fuerit, dolorem intestinorū, & torsiones circa umbilicum ostendit.

Rursum si veniat à linea vitæ sectio & fuerit duplicata, scindens mensalem, hominem significat misera morte vitam finiturum. Nam sive in viro, sive in muliere fuerit hæc, mali exitus indicium est. Quandoq; etiam eadem mēsalis versus montem Saturni, vel Iovis bifurcata cernitur, & hominem denotat multos in vita labores obiturum, & qui gravibus aliquando fatigationibus implicabitur. Hæc si rubicunda sit, quo magis rubor eluescit, eo magis iracundum portendit. Quando in eadem mensali videntur lineæ quædam parvæ, seu rimæ potius, gradatim altera post alteram ascendente, quo hæ plures fuerint, eo magis honoratū ac potentem arguunt, ac illi quidem magnarum rerum dominia polliceor.

Carens mensali. Porrò in cujus manu nulla omnino mensalis est, utriusque sexus homo, malevolus, contentiosus, iracundus, suspectæ fidei, ac parum constantis animi, & qui in omne facile malum proclivis sit invenitur. Item si inter mensalem & locum Mercurij, id est, Auricularem, linea aliqua apparuerit, quæ à mensali veniens digitum versus auriculare tendat: observatum est, nec bonum eum virum, nec fortunatum esse, sed video avaritiam, iracundiam, ac odiosam plenè tristitiam notari. Deinde sordidum quoque, & malignum, quique alieni aliquando sceleris socius fuerit prospicio. Et si aliquæ lineæ, inter mensalem & Auricularem apparuerint, si fuerint rubicundæ, numero sibi pares, nuptias portendunt. Si obliquæ & pallidæ, tot jam præteritas demonstrant. Si verò sub radice Mensalis obliquæ cruces reperiantur, quotquot hæ fuerint repertæ,

tot inimicos capitales denunciant. Vbi verò quædam linea intersecat mensalem, veniens à quadrangulo vel mensa manus, ad montem Saturni, quæ constituat in fine ejusdem parvam crucem, signum esse dicitur violentæ mortis.

Ægritudinum causa ex mensali. Et dicunt aliqui hujus artis prudentes, quòd si quædam lineæ parvæ juxta finem mensalis repertæ fuerint, ægritudines in prima ætate. Si juxta medium, in mediâ ætate. Si juxta finem, in ultima ætate denunciari. Et si tales lineæ descendant desuper, erit ægritudo ex cholera. Si à parte inferiori ascendant, ex phlegmate. Si autem è medio tendant supra, ex sanguine. Et si è medio quidem veniant, magis tamen imum versus, ex melancholia, juxta eorum conspicuū, aut obscurum colorem magis ac minus.

Hic considerandum veniet, quod Cancer, & Scorpio, ac Pisces dominantur phlegmati falso, Saturnus morbis phlegmaticis, viscosis, unde morphea, lepra, cancer, vel podagra oritur. Taurus, Virgo & Capricornus ejusdem naturæ sunt frigida & sicca, melancholiæ præsunt. Et ideo Venus in morbos frigidos & humidos, in gutture & genitalibus. Similiter & Luna in guttam, epilentiam, apoplexiam. Aries, Leo, & Sagittarius in choleram, febres ex sanguine, & pustulas. Similiter & Mars in febres calidas, phrenesim, serpiginem, & vermem in capite dominia exercent. Iovi adustum sanguinem damus, quemadmodum in Mercurio mentis ægritudines, amaras cogitationes, ac conscientiæ morsus. Sol calidos ac siccos inducit morbos. Quæ omnia perpulchrè infra patebunt, ubi agetur de naturis planetarum & signorum.

Notandum etiam erit, quòd rubedo linearum ex calore Martis procedit. Ideo semper in judiciis Chyromanticæ artis ac vaticiniis, ad naturas planetarum recurrendum, moneo, & ad naturas signorum, in quibus Sol nativitatis tempore fuerit inventus. Similiter in judiciis physiognomia hominis diligenter contemplanda erit, & in iis prudens judex experientiam deportabit non modicam & laudem.



Linea prosperitatis.

Si inventi fuerint tres ramuſculi in linea fortunæ (quæ etiam proſperitatis dicitur) & conjungitur cum linea vitæ,& cum hoc reſtrictam inſcindit:bonum ac acutum ingenium oſtendit. Si verò cum eisdem lineis conjungatur, ut hîc pingitur Menſalis, cum quadam tamen tortuoſitate:malum,perverſum,iniquum, malitioſum, & calumniatorem, & qui ſemper avidus ſit humanum effundere ſanguinem indicat. Et ſemper cum has easdem lineas denotaveris, ad Martis naturam recurrendum eſt.

Linea



Linea Menſalis ſic diſpoſita, ut debito loco & modo incipiat & terminetur, bonam corporis qualitatem, & in membris, quæ vocantur generativa, vigorem. Si autem econtra, ut ſit nuda ſine ramuſculis,brevis & groſſa,utraque indicis montem progrediatur, malignum denotat, & qui non facilè diſcet.

Iſti



Isti tres ramusculi in fine circa montem Indicis, respicientes directè angulum supremum, bonum tam in viro quàm in muliere signum esse ferunt. Si verò crux parva in eodem loco reperta fuerit, bonum & ipsum portendit. Qua de re canonem superius consule. Linea verò Mensalis si habuerit incisiones, à principibus & potentibus inimicitias, & infestationes habiturum demonstrat. Si verò discretæ fuerint in jam dicta Mensali plures parvæ incisiones, variam ac diversam fortunam judicabis.

Si



Si linea Mensalis, in manibus virorum, sive mulierum non reperitur, pessimum signum est. Nam hominem in omne malum propensum suspicor, malaque morte periturum. Vbi & respiciendum ad eas lineas circa Mercurii montem: quia ibi nuptiæ judicantur. Ibi enim colligitur judicium de iis, qui Mercurium planetam agnoscunt.

Si



Si mensalis linea contentæ tangat lineam naturalem, ita ut cum eadem faciat angulum acutum, ut à tergo vides, malum portendit. Tanta enim huic pericula imminere putantur, ut possit eum non injuria pœnitere, quod unquam natus sit. Si verò omnino desit linea naturalis, & mensalis tangat lineam cordis (nisi me omnia fallant) capite truncabitur homo ille, aut utcunque malè peribit. Vbi quædam linea (ut hîc vides) intersecat Mensalem, faciens in superiori parte parvam crucem, mortem violentam indicat. Quæ linea si directè ascendat, intersecans mensalem, mulieribus malum portendit. De qua re vide Canonē. Si quædam crux pura sit circa lineam mensalem, dignitates spirituales: & fortius, si duæ cruces appareant (prout sæpius experti fuimus) scilicet beneficia ecclesiastica habiturum denotat.

De Restricta. CAP. V.

UT DIXIMUS, spacium omnino illud Restrictæ est, quod in manus junctura apparet, qua brachio jungitur. Si illud spacium sit purum & vivi & boni coloris, bonam corporis videtur qualitatem significare. Si econtra, malam. Et notandum, ut plurimum duas apparere in hujusmodi junctura lineas, quæ veluti dirimunt à brachio manum. Et si duæ fuerint: tunc ea quæ manui propior est si fuerit æqualis, recta, boni coloris, ac suprà tendat, divitias huic promitto. Atque etiamsi valde inops sit, rerum augmentum, & fortuitam felicitatem. Sed tunc magis, cùm fuerint rami recti & non incisi. Quòd si linea quædam oriatur à radice brachii, & extendatur usque ad radicem medii digiti, optimam fortunam, & prosperos successus promittit. In hac junctura si quatuor lineæ fuerint, transversim scindentes brachium, sintq; lineæ æquales, & bene conjunctæ: ecce tibi honoris dignitatem, & propinquorum hæreditates successionemque promittunt. Et si in radice brachii, prope montem pollicis, juxta lineam vitæ (si ea tantū se demiserit) reperiantur tres lineæ aut stellæ, vel etiam plures: cui hæc insunt, eum aliquando delatū iri à mulieribus prævideo, ac forte aliquam subiturum ob id infamiam. Tum si linea quædam à media Restricta, ex radice brachii, montem Lunæ versus eat, multas hominis fortunæ adversitates, & occultas interim inimicitias ostēdit. Quæ item linea sic orta, si torta sit, ac inæqualis, perpetuæ juxta servitutis judicium est, nec eum hominem ostendit unquam aut ad honores, aut divitias emersurū. Si autem nonnullæ lineæ dispergantur à restricta, & ascendant ad montem pollicis, ac in infima ejus parte jaceant: qui hoc signum habent, periculum est, ne aliquando à propinquis suis, & iis quos charos habuit affligatur, vulneretur, spolietur, aut etiam in vincula conjiciatur. Interim si quædam lineæ oriantur à brachio, & scindant restrictam, ac in superiori parte conjungantur, is homo

in patria proculdubio exilio morietur. Quæ tamen lineæ, si non continenter jungantur, sed separatim distent: procul à patria apud externas nationes vitam finiet. Eædem lineæ si ad percussionem manus tendant, longas navigationes & itinera maritima, ac vitam omnimodo vagam, & quæ in diversis navigationibus & peregrinationibus teratur, præsagiunt. Et ubi quædam linea directa per restrictam usque ad montem indicis tendit: hominem peregrè abiturum, ac difficulter in patriam rediturum ostendit. Item si quæpiam linea ad restrictam orta in volam manus incidat juxta lineam vitæ, ac rubicunda fuerit, corporis imbecillitatem, atque ægritudines arguit. Si verò palleat ea coitio, non jam instare ista, aut eventura, sed præteriisse, ac completa, ut jam timenda non sint. Si autem quidam triangulus moveatur à restricta, tendens ad montem Lunæ, siquidem mulieris sexus manui insit, certum est, in prima statim adolescentia, atque adeò in flore ætatis corruptam eam ac improbam factam. Tum si cui mulieri hoc insit, ut prope restrictam habeat parvulam crucem, honestam hanc, probam, prudentem, ac omnis pudicitiæ sibi consciam judico. Ecce optimæ qualitatis in corpore hominis indicia. Spacium illud in restricta manu versus, atque alterum juxta brachii juncturam, boni utrunque, ac vivi coloris, tum quatuor hæ incisiones quid non boni portendunt? Rursum tres stellulæ, quàm odibiles, periculum ex accusationibus, ac infamiam quoque minantes. Vide autem lineam à restricta in manus percussionem progressam, malæ fortunæ, ac alicujus infelicitatis argumentum. Tum illa per restrictam ad Iovis usque tuber dilapsa, peregrè agendam vitam. Et altera rectè ascendens, divitias ac propitiam fortunam significat. Quæ verò in Iovis tubere signa vides, honores, opes, ac dignitatis accessus & ipsa ostendunt. In hunc modū quatuor lineæ repertæ infra depicta manu, ipsum pene cingentes brachium, longæ ætati documentū fiunt. Tum lineæ quædam à brachii radice euntes, quæ acutum faciunt angulū juxta



juxta quem parvula crux conspicitur, summam vitæ tranquillitatem pollicentur. Item læta ejus vitæ tempora, & paulatim ad honores ascensum. Crux tamen illa si abfuerit, tantum in multorum hæreditates successionem video promitti. Quòd si crux, aut stellula quæpiam adsint: nihil huic homini ad vitæ necessaria deerit. Si duas lineas in restricta invenerimus esse latiores, & unam inferiorem, subtilem, divitias usque ad ætatis medium prospicio, & honores: per reliquam deinde ætatem, de die in diem successu omnia minora. Si verò duæ lineæ paryæ ab eisdem oriantur quasi mutuò se sustentantes, & quædam aliæ lineæ directæ per palmam usque ad lineam naturalem ascendant: indicium erit summæ

integritatis, eumque hominem ostendunt optimæ conscientiæ, & qui iis moribus ad divitias quoque & prosperimæ fortunæ successus perventurus sit. deinde eidem optatum quoque finem pollicentur. Diminutius tamen hæc evenient, si ascendens illa linea tortuosa fuerit.



Si duæ lineæ per palmam manus à restricta originem sumentes, ad montem Solis, qui etiam annularis dicitur, usque ascenderint, & si idem Mons duabus lineis ex transverso scissus sit, magnarum rerum gestorem & regiis negotiis officiisque exequendis præficiendum. Atque inde honores pariter ac divitias accipiat video.

Si



Si in restricta manus visa fuerit quædam linea grossa, deinde alia subtilior, & rursum tertia grossior & profundior, prima ætate divitiis abundantem. Vbi ad medium vitæ pervenerit, infeliciorem & inopem magis. Tertia verò ætate, omnibus quæ paulo ante amiserat recuperatis, vitam in honorum ac divitiarum augmento tranquillam, ad extremum usq; finem portendunt. Si duæ lineæ tortuosæ ad Iovis mõtem ascenderint, & supra primam juncturam ejusdem, duæ aliæ lineæ ex transverso apparuerint, vagam peregrè vitã, ac magna itinera, sed unde honores ac rei familiaris incrementa eveniant significandum dico. Si autem ad Mecurij digitum usque transierint hæ lineæ, qui sc. scissam manum habet, homo erit multis aptus rebus, verùm nullas hic, au-

permodicas colliget opes. Si verò ad digitum Saturni pervenerint, nihil pejus inveniri poterit. Nam avaritia, rerum immodicarum cupiditas, invidia alienæ felicitatis animum ad pessima semper rapiet.



De

De Triangulo. CAP. VI.

TRIANGVLVS in manu, sunt tres lineæ, scilicet vitæ, mediæ naturalis, & hepatis & stomachi, quæ ita dispositæ sunt, ut trianguli speciem præbeant. Porrò spacium iis lineis inclusum, tres in partes dividitur, qui sunt tres illi anguli. Quorum primus constituitur, ut diximus, à linea vitæ, & media naturali, & dicitur angulus supremus. Is autem qui fit à linea vitæ, & basi trianguli, angulus sinister appellatur. *Angulus supremus. Sinister.*

Triangulus autem æqualium angulorum, habens lineas pulchras & bono colore nitentes, ac rectas, bonam naturæ ac corporis qualitatem refert, & cum integra valetudine, mentis quoque securitatem, deinde & famæ celebritatem, & vitæ longitudinem ostendit. Qui si contrà fuerit lineis subobscuris, & inæqualibus, & qui non conspicuè referant triangulum, diversum omnino judicandum est. Spacium hujus trianguli si amplum fuerit, & patens, animum arguit liberalem & magnificum, ac audacem. Contrà angustum & breve, avaritiam, tenacitatem, & paviditatem prodit. Idem ille campus si palleat ac in livorem declinet, significat iracundum & deceptorem. Si fuerit hæc manus pars rugis consciſſa, malam corporis qualitatem opinor esse. *Amplus. Angustus.*

Angulus supremus trifariam clauditur à linea vitæ, & media naturali. Primò in ipsa penè vola è regione ejus vallis qui est inter duo, inter indicis, & medij tubera. Vnde judicamus ærumnosam vitam, calamitatibus, ac captivitati etiam obnoxiam, animum anxietate & sollicitudine plenum, frequentique commersum, idque ob pecuniæ ut plurimum studium. Secundò sub medio indicis tubere, sitque angulus ipse acutus, & bene clausus: prædicit optimam inesse ei homini naturam, ingenium acutum, bonam hominis qualitatem, secundos etiam ac prosperos successus, integritatem morum, atque hæc omnia eò perfectiora, quò magis fuerit angulus clausus arctè ac conspicuè. Tertio non coeuntibus lineis duabus, sed quodam interreli- *Angulus supremus trifarius.*

cto ſpacio, quo argumento hominem accipimus ambitioſum, ſibi placentem, impurum, moroſum ac difficilem, obloquutorem, truculentum, præterea mendacem, ac ſine laude omnino viventem. Qui ſi in ſervitutem, aut captivitatem devenerit aliquando, nunquam inde revocabitur in libertatem. Sed & liber ſi ſit, miſerè peribit. Iam ſpacium illud triangulo incluſum, ſi calloſius fuerit & durum, iracundiam hominis arguit, ac interim aſtutiam & dolos. Si rugis exaſperum, invidentiam & inſidias, ac obloquutiones. Quando autem quædam linea apparuerit inter duas iſtas, ita propinquè quod tangat utranque, & deſcenderit ad triangulum, ſignificat hominem veneno aut percuſſione aliqua moriturum. Quandoque quatuor lineæ ſeipſas interſecantes ad formam crucis, & in eodem ſpacio ſuperiori apparentes, invidiam, detractionem, & inſidias, ac alios opprimendi ſtudium oſtendunt. Quippe duæ lineæ hæ bene conjunctæ, & acutæ, totius hominis bonitatem demonſtrant. Si in concavo autem manus præcisè è regione digiti Saturni ſe conjunxerint, ibi angulum facientes, multam ac variis modis ſanguinis effuſionem, vulnera capitis, ventris fluxum, diarrhæam, aut ſi in mulieribus hoc fuerit, inceſſantes menſtruorum fluxus, & etiam in partu periclitationem denotat. Si quædam figura ad modum ſtellæ in triangulo apparuerit, adulteram, & proculcati pudoris mulierem, ac iracundam oſtendit, quæ etiam ad tantam mentis inſaniam aliquando propter ſuam irrefrænabilem iram perveniet, ut ſeipſam cupiat jugulare. Quòd ſi eodem loco ſtella apparuerit, quandam à ſe longam dimittens rimam (ut paulo pòſt in figura videbitur) cui hoc inierit mulieri, quatuor maritos habebit. Vbi tamen à prudenti conjectore animadvertendum, an ea ſit ætas quæ hoc ferat. hujusmodi enim in negotio multa ex nobis ipſis ſumimus. Si in eodem ſpacio apparuerit crux ſine aliqua inciſione, bonum in viro & muliere portendit. Nam quibus hoc adeſt ſignum, optimè geſta vita, in fama bona morietur. Angulus verò

rò dexter, ſi fuerit multum acutus, providum, ſagacem. & parcum virum præſagit. Idem ſi fuerit obſcurus, & groſſus, ſignum eſt ruditatis, ignaviæ, & ſomnolentiæ. Angulus ſiniſter ſi fuerit acutus, loquacem, & cavilloſum hominem oſtendit, acutum tamen, & induſtrium. Idque ſic eſſe puto. Si autem angulus ſupremus nō fuerit acutus, & ſignum quoddam ad modum characteris Saturni eo loco reperiatur, malæ, & planè Saturninæ indicium eſt naturæ. Vt in ſcripto triangulo apparebit.

Cujus digiti ſic fuerint compoſiti, ut ſingulis artu-



bus singulà sint intermedia, ac quasi tubera quædam & verrucæ ipsæ omnino tortuosæ ac inæquales appareant: paucorem eum futurum ac ærumnosè victurum dico. Quòd si in superiori parte, id est, in tertio articulo utriusque manus, præcipua quædam ac evidens tortuositas insit, invidentiæ, fraudis, malitiq; ac mali omnino animi signum video: quem tamē hominem miserè ac in ærumnis vitam acturum puto.

Triangulus verò in manu inventus, tam in viris quàm mulieribus, boni nonnihil pollicetur. Quo in triangulo si ad formam stellæ fuerit inventum signum: si mulier ha-



beat,

beat, impudicam, adulteram, & libidinosam ostendit. Quin etiam in viro malum portendit. Si verò circa angulum dextrum, evidenter expressa stella in manu viri fuerit: perfidū, turbulentum, deceptorem, obloquentem aliis maledicum, furem, raptorem, & qui per fas & nefas omnia agat, & ad deterius semper inclinet, quique in malis eruditus sit, atq; hîc malè aliquando peribit. Ramusculi in principio lineæ vitæ, vel mensalis, rei familiaris incrementum, & abundantiam præsagiunt.

Si



Si ſtella, quam dixi, quandam à ſe rimam, ceu virgulam demittens in triangulo muliebris manus ſit, prædicit, mulierem plures viros habituram. Quoties ſupremi anguli duæ lineæ interpoſito ſpacio diſtant, mali hominis indicium (ut prius ſcripſi) concipio. Quatuor lineæ ſeipſas interſecantes in modum crucis in ſpacio ſuperioris anguli: invidum, detractorem, & peſſimæ famæ virum demonſtrãt. Tum figura quaſi characteris Saturni, malum finem homini pronunciat. Sed menſalis linea ſic formata ut vides, infortunatum, & alioqui gulæ ſtudioſum virum arguit. Si figura ad formam furcæ in dicto triangulo, ſurſum, vel deorſum apparuerit, inconſtantem, & libidinoſum virum oſtendit.

De

De Quadrangulo. CAP. VII.



SPacium illud Quadrangulus appellatur, quod eſt inter lineam Menſalem, & mediam naturalem. Si ergo iſtius quadranguli inciſuræ vivi ac lucidicoloris ſint, æquitatem ac vitæ rectitudinem pollicentur. Si contra, iniquum, ac minimè bonum interpretor. Hoc ſpacium latum & amplum eſt in homine liberali, ac magnanimo. In quorum manu crux eſt hoc loco lucidè ac clarè apparens, bene fortunati erunt augendis cenſibus eccleſiaſticis. Idque amplius, ſi talis figura duplicata, aut etiam triplicata ſit inſtar cancellorum.

Con-

Conturbant hoc autem, & evertunt, si quæ lineæ aut incisuræ figuram hanc obliquò secuerint, aut ipsa illa crux tortuosa sit: ne tunc enim contraria omnia eventura opinor. Ibidem apparens stella, virum arguit magnanimum, æquum, apertum, verum, ac optimæ conscientiæ. Et qui aliquando fortunæ adversitate ad rerum penuriam dilapsus suapte rursum virtute emerget. Mulierosum tamen video, & aliquando mulierum causa nonnihil siniſtri de se rumoris laturum.

Tota aliquando illa quæ appellatur manus mensa deest, Sed mensalis linea si cum naturali concurrens triangulum incipit, tunc à multis insidias, ac sanguinem quoque profusum iri, ajunt portendi. Si verò in fine mensæ, circa percussionem manus reperiatur manifesta crux, multas peregrinationes, & variam locorum mutationem concipio, sed prosperam inibi fortunam. Quoties multum inter se distant amplissimo interrelicto spacio duæ hæ lineæ quæ mensam constituunt: calorem superfluum, & male temperatos humores inesse ei corpori putare debemus. Contra, quoties ille in manu campus arctè clausus fuerit, judicium erit hominis avari, & qui nimis circa pecuniæ studium sollicitus sit, crudelis interim ac truculentus.

Hæc ferè de principalibus manus incisuris, & iis partibus, quæ intra ipsam sunt manum, dixisse satis sit. In sequentibus de digitorum tuberibus, ac ipsis etiam digitis & planetarum stationibus, & si quid præterea supererit, dicendum venit.

Hi characteres, lineæ, sive cruces in mensa manus & quadrangulo, quid significent, paulo ante incanone expositum est. Stella in medio mensæ posita, virum omnis æqui ac boni studiosum, & ob id venerabilem indicat, ac dignitate plurima præditum. In communi dictum sit: quibus & natura contremiscunt manus (nam multis casu hoc evenit, aliquibus ex ægritudine) ut iracundos, rixosos, impuros, ac ebrios indicari.

De

De Montibus digitorum. Et primùm de pollicari, qui Veneris apud vetustiores dicitur.

Cap. VIII.



Et quia satis dictum est de principalibus manuum lineis. Nunc de particularibus digitorum lineis, & eorum montibus scribendum est, eorumque significationes subjiciendæ oculis sunt, adjunctis septem planetarum naturis: quomodo cognoscere liceat inter illos, quid conveniat, vel contra in discrimine quid noceat.

Mons pollicis, tuber illud est, quod vitæ linea ab ortu suo statim ad manum restrictam descendens præterit. Vocaturque mons Veneris. Qui si lenis & planus, nihil rugarum aut sectionum, aut admodum parum habeat, colorque sit vivo & rubente: bonam primùm corporis qualitatem, deinde mulierum quoque amatorem ostendit, hominemque circa vestitus cujusdam lautitiam occupatum, & qui mundi itiis studeat.

Quod

Quod si in eo breviuscula alia linea secundum vitæ illam rectè devoluta (cujus ob id soror vocatur) procurrat: signum est hominis Venereis sese oblectantem. Quin etiam perpetuas divitias promittit eadem illa soror, si longior fuerit, nec abrupta statim, comiteturque vitæ lineam continuò. Iam si non in summo statim tubere incipiat hæc, sed in medio forte, aut non longè ab imo: tenuitatem quidem rerum in prima ætate, in sequentibus copiam significat. Nonnunquam plano tubere, quatuor æquo intervallo à montis summo ad restrictam manum lineæ procurrunt: pollicenturque divitias & honores in prima statim ætate. Quæ item si non summo monte oriantur, sed ab ipsa pollicis junctura eosdem quidem successus, verùm serius fortasse eventuros denotant, ac omnino tardè, & in suprema senectute juxta. Si extremum pollicis articulum paulo infrà unguem scindant, aut prope ipsam contiguè junctura sint, ferunt, quòd si longissimæ sint hæ lineæ, ac claræ & lucidæ, divitias & honores statim id præsagire. Alioquin tanto id minutius, quanto obscuriores fuerint. Proinde & Imperium iis successibus portendi ajunt, si aliæ diversim obambulantes, illas interruperint quatuor lineas. Plerumque subtilis quædam incisio à supremo pollicis monte, lineam vitæ versus it, significatque ferro interiturum hominem. Alias quædam lucidè juxta indicem ortæ secant lineam vitæ, multarum peregrinationum, & longarum per diversas mundi regiones viarum judices sunt. In quibusdam eodem ortæ loco incisiones ad vitæ aut cordis lineam, superius ubi illa oritur, procedunt: in manibus hominum jactatorum & ambitiosorum, quique luxu & libidine adfluunt. In aliis signis quædam linea & rubicunda eodem in loco, montem pollicis peragrans, cognatorum incestum & concubitum ostendit.

Quamquam non ita fidem habendam arti huic judico, ut sola inspecta manu, hæc compertum iri credam. Sed ubi dico, cum propinquis coiturum eam, sic accipiendum moneo, adeò ardere hominem libidine, adeòque perditum esse, ut ne à cognatis quidem abstinere eum sperari debeat. Neque enim fieri potest, ut hujusmodi planè intelligantur, sed conjectura assequi licet. Ad quod multum facit, ipsam hominis faciem intueri, totumque eum contemplari: ut videatur quomodo inter se omnia conveniant, & quòd ejus adminiculo occultam hominis naturam & futuræ vitæ sortem prodat, id quod semel hoc dictum loco, in futurum ubique observari debet.

Qui suaves sunt moribus, & vitæ jocundæ, vivuntque lætè, & hilariter conversantur, ac faceti sunt, & jocos miscent, musicis gaudentes: stellulas habent hoc in monte, est enim Veneris planè regio hæc, cujus hoc est studium, & frequenter sic morati montem cum habent complurimis discussum parvulis, sed claris sectionibus. Quales si quidem intuita fuerit celsitudo tua, pater ac princeps clementissime ac omnium colendissime, inspiciat faciem ejus hominis, videbitque ut plurimum colore candidum, alioqui compagine corporis decentissima, oculis nigris & præfulgidis ac omninò venustis, læto intuitu, ore honesto, & per omnia venereum, ob idque lascivientem impensè, & luxui deditum, ac libidine accensum, aleæ studentem, & in jocis assiduum, ducentem choreas, oblectantem se floribus, rosis & odoribus, ac jucunda omnia appetentem, ornatusque omnes circa vestitum præsertim amantem: quem auri, argenti, & gemmarum desiderium tentat, qui frequenter rideat, qui convicia sectatur: compotiones & ludos studiosè frequentet: salacem, ebrium, venustum, & procacem, qui mulieribus conversari soleat, & circa venerea affici cupidissimè, qui addiscendis eis artibus, quæ huic naturæ conveniunt, docilis admodum sit, ad reliqua perdiscenda ingenio tardo, & hebeti intellectu. Qui facilè credat, facilè decipiatur, liberalem, æquum & lenem ac misericordem, naturæq; minimè malæ, pium enim & justum, quique in amicitia integra sit, & fidus. Quem musicæ studium teneat, ardua & seria non perinde sollicitum habeant. Qui delectatur pictis tabulis, & pingat ipse, & statuarum pulchritudine & artificio capiatur;

Veneretum natura.

tur, & sciat ipse quoque fingere. Quique in iis quæ hujusmodi sunt, fortuna utitur secunda, in contrariis non feliciter admodum experiatur. Cujus vita sit splendida, res mediocris, lucri nullus valde ardor, neque avaritiæ studium. Amabilem, & cujus desiderio teneantur multi. Qui alios exhilaret, delitiis affluat, voluptatem colat, luxui, delitiis ac lætitiæ deditus sit. Quem nulla facilè res permoveat, nullum adeò arduum negotium perturbatum aut sollicitum reddat, minimè cogitabundum, sed præsentibus contentum, & anxietatem omnem prostergantem. In summa, qui sic vivat, sic moriatur. Neque in iis magis, quam in omnibus aliis considerandæ hominis natura, non ex manus inspectione tantum, sed à totius habitudinis contemplatione venit. Quare idipsum quod de uno hîc exposuimus, de omnibus alibi esse exempli vice poterit.

Præterea in pollicis monte qui fissuras habent nimium multas, nullo ordine, nec ita pari intervallo, sed sparsim inter se diversas, eos haud dubiè libidinosos & impuros, sed interim amarulentos, etiam jurgiosos, & qui cum mulieribus lites facilè conserant ac morosi & difficiles habeantur. Cumque libidine in tantum æstuent, ut satiari etiam facilè non possint, exquirantque ibi genera insueti usus & monstro simillima, conversationis tamen sunt minimè jucundæ, & vitæ insuavis. Tenet eos ferè nullum sapientiæ studium, nec in doctrinis proficiunt, sed ad alia capaciores sunt, sciteq; exercent ea quæ matutino opere fiunt. Et quæ ad luxum sunt omnia ingeniosè excogitant. Cujus rei adsigno rationem, quod qui tales sunt, & sic aptam manum habent, eorum ferè genitura Venerem in sexta, aut octava domo ostendit. Vides igitur ut complexæ invicem sibi sunt, atque genuinæ scientiæ Astrologia & Chyromantia, & neutra sine altera addisci ritè potest, sed quæ suo loco dicemus uberius.

Si



Si quando annuli in morem juxta primam ejus junctura secet pollicem rimula quædam, ita ut totam circumdet ac includat, video multos obstinatè arbitrari, omninò eum hominem & necessariò suspendio interiturum. Atque ipse in uno quodam id eveniſſe expertus sum. Sed cùm multos qui ad suspendium ducebantur, inspectis eorum manibus carere hac nota viderim, pro incerto relinquam.

Qui tribus quibusdam, aut quatuor in latum sectionibus conscissum sub prima junctura pollicem habent, eos dico juvenes statim divitiis & honoribus amplificatos iri. Si verò supra eam, in provectiori ætate accessura hæc: tandemque in senecta, si propè secundam junctura sint hæ sectiones. Si qua mulier autem sic insignitum superius pollicem (ut est qui secundo hic loco pingitur) habeat: eã ut fraudulentam & minimè bonam fugiendam moneo. Ecce autem libidinosam tibi, & perditè moratam, adulteram, & prostituentem se ultrò, ac mirè intemperantẽ, nec in coitu satiabilem quæ, hoc signo, quod hîc adscriptum vides, medium Veneris montem impressum habuerit ⊙ ferunt. *Experimentum.*

Cujus nuptæ, primam in pollice juncturam tres sectiones parum impari intervallo secant, ei à proprio marito vulnerationis, aut necis etiam imminere periculum, Eamque, cui subtus secundam ibidem juncturam parvulæ quædam & multæ cruces sint: insigniter piam, & religionibus deditam denotari. Rursumque duas tantum hujusmodi notas quæ habeat: ut litigiosam & infidam, locacemque. Invenire est & petulantem esse, & procacem, quæ eodem in loco ramusculos habeat complures.

De monte Indicis & digito eo, ac Iovialibus.
CAP. IX.



PLANETARUM omnium beneficentissimus est Iupiter, isque locum habet in manu ipsum quod sub Indice digito tuber est. Quare si ad planum id & levigatum conspexeris, honestatem vitæ, ac bonitatem naturæ significari tibi arbitrare. Idque magis etiam si à digito ipso parvulæ quædam & subobscuræ eædem rimulæ incedant: maximeque, si hæc non ita magno inter se spacio desiterint. tunc enim honores & dignitates à principibus portendunt. Ausique sunt quidam certius definire hoc, dicentes, tot illum gradus honorum, aut ecclesiasticarum dignitatum percursurum, quot hujusmodi hoc in loco sectiones habuerit.

Quorum in manu est recta quædam & clara sectio, ipsa manu ad indicis radicem orta, & à media prope naturali ad tuberis ejus angulum transversum se movens, hos animi magnitudine, & rerum maximarum cura suspiciendos habe, famamque petentes, & gloria insigniri conantes & audacia dimicandos. Verum hoc postremum itidem denotatà mensali ad indicis montem proficiscens parvula quædam linea. Atque has jam dictas sectiones, si transversæ quædam rimulæ interscindant, capitis vulnera portendi ferunt.

Sæpe indicem à medio dirimit sectio quædam crassius elucescens, ac rubicunda, & intestinorum vitia arguit, eorumque imbecillitatem in viris. nam mulieres hanc habentes, in partu periclitaturas præsagi, tuncque magis, quando ea valde rubescit. Ajunt violenta morte interiturum, cujus in manu à mensalis fine orta sectio, ipsum Iovis tuber recta petat. Cruces item in Iovis monte apparentes, honorum accessiones, & dignitatum incrementa præsagiunt tot gradibus, quot ea fuerint signa: compertumque sæpè est, sacerdotia adsecutos hujusmodi, & ecclesiasticas dignitates abundè.

Sic insigniti, Ioviales in primis vocantur, & in talibus fortunæ successibus felicissimè ut plurimùm agunt. Quos alioqui videre licet corpus habere modicè compactum, sed forma admodum grata, nec invenustum, coloris candidi, capillo spisso, oculisque decenter compositis, mundos, & lætitiæ deditos. Ipsorum verò natura hæc est, animi magnitudo, & elatio, magnorum appetens; liberalior aliquando supra quam facultates sinant, cupiunt regnare, aut imperare aliis, in summis occupantur, infimorum impatientes, ac mediocritatis contemptores, honesti, no-

biles, gloriæ cupidi, & famæ captatores, læti interim & jucunditati ac delectationi dediti. Sæpenumero inflati & turgidi, magis apti negotiis, ac ad regium planè fastigium anhelantes, fidei opinione clari, amicitiarum studiosi, simplices, & à fraudibus abhorrentes, paci studentes, per omnia probi, ut plurimum sapientiæ etiam dediti, semper verò civili prudentia insigniter præditi, & cõsilio pollẽtes, nec eloquentiæ expertes. Eorum incessus neq; citus est nimiũ, neq; tardus. Constantiã animi quoq; ibi promittunt. Nulli hominũ feliciores sunt, nulli vororũ facilius compotrocinio tuti sint, & Principũ testimonio commendentur. Amant uxores, amant prolẽ, ac suos piè diligũt. Videre est in succesſibus quoque, & posteritate fortunatos eos. Præterea cibi appetentes suos facit Iupiter, & ob id plerunque laborantes ex stomachi crudelitate, aut circa hepar adfectos. Nam & valetudinem iis crapula turbat. Alioqui diuturniori vitæ aptiores sint. Rarò videas Iovialem quempiam, qui non claram vocem habeat, & o[illegible]tes superius priores duos eminentes, citò paupertatem .. pubertatem egredientes. Hæc in summa de iis quorum in genitura Iupiter absque alterius mali commixtione dominus est.

Cæterùm si qua mulier in extremo Indicis articulo circa manum, complures quasdam lineas transversim & in latum euntes habeat: ei ex demortuis propinquis, aut adfinibus hæreditates amplas ajunt accessuras. Quod si in medio articulo eaſdem præferat, ut invidam & mendacẽ, ac fraudulentam arguunt. Item eisdem signis, montem Iovis si concissum habeat: iracundiæ, amarulentis morositatis, & jurgii suspicione infamant eam. Hoc ipsi mihi compertum est prolis numerositatem patiendi, si qua in medio articulo habeat tres dilucidas sectiones secundum digiti longitudinem descendentes, quarum media brevis, & una parte obtusior sit, perq; eas transversim & in latum sectionem aliam clariorem, duasque obscuras, quæ mediam illam breviusculam non attingant. Habent improbæ & impudicæ mulieres stellulas cum hemicyclo in Iovis monte.

Tres



Tres variæ se curvantes lineæ, penè æquo intervallo in latum extrema parte infra ultimam junctura, indicem per latum secantes, mulieris impuritatem arguunt. Contrà, si cujus medium articulum scindant in longum sectiones, quarum in medio stella aliquando sit, castitatis & pudoris argumento censenda venit. Promittimus amplam hæreditatem, & divitias abundè succesſuras, planeq; locupletandas fore, sive ex hæreditatum succesſione contingat hoc, sive ex sacerdotiorum, & censuum ecclesiasticorũ proventu sit, eum qui in tubere Iovialem crucem, aut stellulam habeat claram, & vivi coloris, quamq; nullæ intersecent



aut confundant aliæ sectiones aut rugæ. Vidi imbecilles quosdam, meticulosos, pusillanimes, sed invidos interim & avaros, lineam quandam à medij tubere ad restrictam euntem habere. Alii ferunt, qui hanc lineam consciſſma ea parte manus habeat: si aliquando capi, & in custodia vel carcere poni contingat, aut moriturum ibi, aut supplicio affici, vel difficulter fore ut liberetur.

De

De Monte medij qui Saturni est, & digito eo, ac de Saturnijs hominibus. CAP. X.



DIXIMVS in præcedentibus, medium manus digitum Saturno dari hac in arte, ejusque ob id nomine censeri: quare & tuber quod sub eo est, mons Saturni vocatur. Quòd si planum penitus, lene & sine rugis, sine sectionibus fuerit: simplicitatem ostendit hominis, ipsum laboriosum, sedulum, fraudis expertem. Si verò à linea mensali veniens rima Saturni hunc montem secet, hominem denotat mirificè anxium, & qui quotidianis commordeatur curis, quem sollicitudines inquietum agant, qui assiduè meditetur aliquid, seque confictiat intra: & quamquam hæc agat, nunquam tamen, aut perrarò locupletetur.

Inibi complures hujusmodi sectiones, vitam significant cum inopia anxiam, & in magna rerum penuria laboriosam, atque carceres: & in iis tormenta dicunt portendere hæc. Vbi à radice annularis ad Saturnium tuber quædam

se recuryat sectio: hominis judicium concipio pigri, torpentis, ignavi, ac desidis: præterea stolidi, insipientis, temerarii, & stupidi, qui nihil unquam scitè agat aliquid, nonnunquam imprudenter audeat, rudi intellectu, mente stolida.

Ajunt, quæ mulier plures habeat inter Solis & Saturni digitos sectiones in longum descendentes, item inter Solis & Mercurij, cùm ibi quoq; habeat quasdam, generationi aptam esse, & masculos concipere facillimum. Quo de promittere nihil ausim. Imo verò neminem latere volo, ex Chyromantia nunquam potuisse de prole investigantem certum aliquid comperire me. Adeò semper fefellit ibi ars ea, unde ad alia recursus mihi est. Hoc scitè exploratũ habeo, si quæ à principibus manus lineis, parvæ sectiones ad Saturni montem se derivent, malæ hominem eum qualitatis, nec vitæ admodum esse probæ. Ferunt & in prima digiti hujus junctura, muliebri manu, si crux, aut stellula conspiciatur, sterilitatis hanc argumentum esse.

Qui montem hunc plurimis variè rimis insciſſum habet, aliorum haud perinde digitorum rimosis tuberibus, eum Saturnium planè judicato. Quo loco referre arbitror, ejus planetæ habitudines ut explanem, quibus eos, quorum genituræ præest, instruit. Pallent ij plurimum & invenusta facie sunt, ac defixis in terram oculis tardiuscule incedunt, macilenti, & interdum recurvo etiam tergo. Moribus verò sunt magna ex parte improbis. Nam malitiosus facit Saturnus, subdolos, & fraudulentos. Gaudent esse soli, ac sibi vivunt: nec ferè aliis operam dant, aut amicis vacant. Circa cibum non admodum sibi indulgent. Potatores verò sunt strenui, quamquam sæpe edunt, & nonnunquam voraces sint etiam. Agitantur miseris continuò curarum inquietudinibus, neque unquam à solicitudine liberi sunt, & anxiè affliguntur amarissimis intra cogitationibus, semper tristia, semper meticulosa agitantes animo. Vita est eis apud paludes & stagna. Sordidè vivunt per omnia, loquuntur & tardè & pauca. Nonnunquam propter assiduam contemplationem auscultare



tare alios non possunt. Frigent natura, imbecilli sunt corpore, valetudinarij, circum olentes, & alopitij. Vox est obscura, & raucum quiddam submurmurant, ac impedita sunt lingua. Invident aliis facilè. Suntque ut nulli præterea affectionum omnium tenacissimi. Itaq; & quos odio persequi decreverunt, odère intensissimè, & irremissibiliter: neque infirmius, quos volũt, amãt. Cogitationes sunt velle ædificare, velle arbores plãtare, agros colere, & quiddam diuturnè mansurum incipere. Non admodum amant mulieres, itaq; & proli rarò dant operam, plerunq; steriles moriendo. Sensibus obtusis, & intellectu hebeti. Qui cùm tales sint, libertatis sunt tamen miribiliter tenaces, eamque contumacissimè tuentur: nec ferunt dominos, & servire

ſervire in extremis judicant malis, regnoru m ut nulli hominum impatientiſſimi. Gaudent nigro, itaq; ſic veſtiunt, & omnia colore eo infecta circum ſe volunt. Suſpicantur facilè, facileque metuunt. Atque hi ſomniorum etiam curam habent: ut humilia alias omnia cogitant. Sed de Saturniis hactenus.

Præterea ſignum in prima medij junctura impreſſum ſi quidem mulieris fuerit, bonum: ſin viri, contrarium portendit. Mulier quoque, in cujus ea junctura fuerint quinque vel ſex lineæ ſeorſum in digiti longum demiſſæ: ſignificant filium parituram, qui aliquando ſacerdos futurus ſit. Interfecturum dicunt, qui ſtellam habet in eadem Saturnij junctura.

De monte & digito annulari, & ſignificatione ſolarium. CAP. II.



EST

EST autem annularis mons, qui inter digitum & menſalem lineam quadam intercapedine prominet, à vulgò doctis, ſolaris appellatus. Ab illius igitur radice ad menſalem usque ſi protendantur lineæ minuſculæ, idem perinde faciunt quòd apud Aſtrologos Mercurius: hominem acri, felicique ingenio, variis deditum diſciplinis: præterea arrogantem, & cum quodam ſupercilio eloquentem, ad hoc capacem dignitatum tam prophanarum, quàm ſpiritualium. Fit interdum, quo geminatim in modum parallelorum diſtent æquè: id vide ne quid imponat tibi. Nihil ferè diſtat à prioribus, niſi quod magniloquentiam adimit, præbet verò ſobrietatem & honeſtatem. Secus ſi aliundè in illas ducantur aliæ, vel altrinſecus ſecuerint ſe: ubi prorſus ab oppoſito divinatur. Niſi fortaſſe vel non pertigerint, vel non inciderint has: id apprimè fauſtum ominoſumque habetur, quòd inimicos omnes vincet, proſternetque ſub ſe. Iam ſi neque contigerint digitum, neque æqualiter locentur à menſali, verùm propenderint ad eum qui juxta eſt digitum, juxta alterationem linearum, etiam ſtatus & vitæ mutationem notat. Item ſi pluſculæ rubicundæ tenues per eundem montem ducantur, jucundum, hilarem, prudentem. Quæ tamen ſi tortuoſæ fuerint, ac perinde rubicundæ, dolores indicant, quibus jam actu affligitur quis. Pallidæ identidem cruciatus, verùm præteritos jam. Interſecantes ſe in modum crucis, quòd vocant Andreæ, protractæ verò à menſali per montem Solis ad primam junctura, providum, res ſuas prudenter moderantem. Pulchrè verò digitos hujuscemodi ſolares venamur, eſtque id certiſſimum indicium, ſi variegatus lineis fuerit ornatus.

Eſt & aliud ſignum, videlicet lineæ duæ tortuoſæ parallelæ protenſæ à reſtricta, quòd ubi in manu perſpexeris, feliciſſima pronunciat, præcipuè in dignitatibus acquirendis, & quicquid ad optimas virtutes ſpectat, ſcientiam, prudentiam, liberalitatem. Ejus typum quendam ſubjecimus in hunc modum.

Item



Item si invicem concurrerint minutæ lineæ suprà junctu-ram primam, sirque fœmina quæ has habeat, idem indicat prorsus. Hoc adjecto, quod ea ab maritis locupletabitur, habebiturque in honore. Præter hæc etiam devotam, nisi quòd monasticam vitam non feret. Ita si in secunda junctura fuerint, semper in honore futuram, verùm inter eos, qui de eodem sunt stemmate. Vbique enim tam in maribus quàm in fœminis divitias notant, pessimum verò, si ad solarem usque pro cesserint.

De

De Monte & digito Mercuriali, & de natura Mercurii. CAP. XII.



MONS Auricularis, vel rectius Mercurii, inter digitum minimum est, & lineam Mensalem. Hunc permagni refert planus sit, & nervis minimè perplexus: an obductus lineis, vel coloratior. Repurgatus enim à verrucis, à squaloribus, à nervis decenter coloratus constanti animo virum indicat, in Virgine verò integritatem. Vbi linea à mensa exoriens, gracilis, picturataque descenderit, ad radicem montis diametro procedens, liberalitatem. Eædem per plures similiter inter mensam & auricularem sumentes exordia, tot nuptias præse ferunt quot illuc trahuntur lineæ. Tametsi longitudinem & contractionem, exilitatem, & colorem animadverti hic velint Chyromantici. Pallidæ prædictas nuptias significant, verùm peractus jam. Oblongæ atque primo tinctæ colore, contrahendus in futurum. Evenit verò haud rarò, ut ex eisdem crassiores sint aliquæ hoc etiam rubi-

rubicundæ: judicabis inde mendaciloquum, subversorem furem, raptorem denique omnium flagitiorum genere contaminatum. Atque huc usque de parallelis & rectis lineis.

Iam si recurva vel circularis aliqua demissa sit ex eodem digito, declivis ad medium, præclaram indolem denotat, de quo multa sit spes, ut ad omnem tandem fortunam futurus sit idoneus.

De mulieribus hoc habe. Si cui parvulas atque easdem retortas habere contigerit è superiori parte auricularis, ut plurimum conditionem indicat; quæ fermè totæ fœminarum cohorti familiaris est, nempe insolentiam, garrulitatem, inconstantiam.

Physiognomia omnium Mercurialium hæc fermè est. Color medius inter album & nigrum, frons elevata, rotunda facies, oculi perpulchri, in felium morè, non omninò nigri, barbitium nigrum, sed rarum corpusculum, gracile, statura decens, labia tenuia, nasus præacutus, vox gracilis, & eadem prompta, motus velox.

Mercurialium natura.

Et si ex monte etiam id prædicere velis, monticulus plurimis lineis rectis est variegatus, secundum conversationem etiam docilis ingenii, audax, scortator, fidelis, proclivis ad mendacia sui ingenii, sectarum amator: osor superstitionis, templis & oraculis non multum tribuens, ad nullam artem ferè non idoneus, præcipuè verò ad Matheſim, & Geometriam. In summa, omnium horarum homo, Doctor, Poeta, Mathematicus, præditus scientia linguarum, scrutator arcanorum, Philosophus cordatus, modestus alioqui, verbosus etiam, sed neminem lædens: ex mœchanicis artibus eis studens quæ politiores sunt & mundiores, ut puta picturis, & hujusmodi. In ægritudinibus paulò plus tamen infortunatus, & infestatione phantasmatum quam cæteri homines.

De perspectione verò junctularum, id etiam summopere auscultandum est. Sunt certa quædam cauteria, cujus primi quidem figura si est hæc in prima junctura, hominem judica studiosum, in primis Rhetoricæ, arrogantem & supercilioſum, ingenii procacis. Alterum in secunda

da junctura, quod tametsi figura abludat à primo, ipsa tamen re ut primum, concionatorem præsignem ostendit. Rursum si obversum sit, variis obnoxium passionibus, horribilibus somniis, & quicquid malorum phantasmatum est. Sic in tertia junctura si crucem videris, signum certum paupertatis, inediæ, tenuitatis. Idque admodum satis de Mercurio. Hæc in figura latius. Quæ si etiam tam locuples non sit, ut omnia signa complectatur, certè tamen potiora curavimus adscribere. Quis enim tam multifarias lineas, tam vanorum ingeniorum indicia, in tam exili spaciolo comprehenderit? In canonibus tamen nihil omisimus, quod ad rem nobis facere videbatur.



E DE

De Base triangulari, & iis quibus prædominatur Luna. CAP. XIII.



INprimis explicandum est, quam vocent triangularem basim Chyromantici. Ea est quæ protrito vocabulo dicitur linea hepatis & stomachi, protenditur à cauda lineæ vitæ, contingens verò lineam mediam naturalē quæ simul junctæ, efficiunt triangulum, modò nihil obstiterit nativitati adversum. Quanquāsciam, hanc à quibusdā minimè cōminisci, quòd sui nō semper similis est, sed non video, cur ideo omitti debeat, cum palam compertum sit, nihil minus posse hanc quam omnes alias, maximè si ex æquo angulum perfecerit cum media naturali & linea vitæ. Nam indicat sanitatem, incolumitatem, florentem non solum corpore sed etiam animo. Quod si contigerint se, vel obscurata sit, aut circum se habeat puncturam, nihilo secius de stomacho & hepate prognosticat, nempe indigestionem, morpheam, torturam, spasmum, phlegma, constrictionem alvi, dolorem stomachi & costarum, præcipuè si pallida extiterit. Porrò bene obducta curæ & rubea,

bea, rubor tamen ille sit ad lineam vitæ propensior, quam ad linea m naturalem, dolorem capitis. Et è diverso, pneuripimoniam, tussim ethicam, squallorem oris, si ad naturalem rubor ille diverterit.



Id quoq; scitu dignum est, quod si in loco Lunæ figuram illam videris circularem, tametsi videatur fortasse ridiculum tibi, tamen amissionem significat unius oculi: & binæ si sint notulæ o o amborum oculorum. Id non tā certum esse, quam omnium certissimum à doctis viris comperimus, quin & nostropte didicimus malo. Simile est & illud, si eodem in loco Lunæ stellula compareat: quæ nefarium & sceleratissimū significat. Physiognomiā si scire voles, facie quidē albus est modico perfusus rubore, conjuncta supercilia sunt, facies & maxillæ inflatæ, oculi inæ-

Lunaris corum natura.

quales, subnigri, fortasse etiam signati notula aliqua in facie. Nullius frugi, ut plurimum languidus, instabilis, piger, insipiens, inops, atque id in prima ætate. In secunda ditior paulò evadet. In tertia rursus miser, delirus, infortunatus, natus ad peragrandum perpetuò terras. Quoad ægritudines, addictus epilepsiæ, paralysi, guttæ caducæ, torcuræ vultus. Nisi Luna in radice nativitatis Solem, vel Iovem habeat sibi benè propitium.

De loco Martis, & natura Martialistarum.

CAP. XIV.



OPERÆ precium est, antequam de Marte sermonem faciamus, scire cur hunc in vola voluerint constitui in ipso triangulo juxta lineam naturalem. Verùm id alibi dicemus: jam lineæ nobis discutiendæ sunt. In triangulo, si sit alius triangulus consummatus, secundum omnes proprietates Martialium pronosticandũ est, & quo major ac major est, eo amplificandus & vitiis catalogus: præsertim si latus atq; bene collocatus lineis physiognomia illi accedat: quæ mihi quidem videtur non



non esse Post habenda in hoc negotio, quamque ob id introducimus hîc, ut Chyromantiæ Physiognomia suffragetur: alioqui fieri non potest, ut tam exactè quispiam omnia perspiciat.

Est autem secundum faciem rubei coloris, qui Martis cognomine gaudet, velut ab Sole combustus, pauci capillitii & eodem crispo, minutis oculis, corpore aliquantum incurvo, & acri severoq; aspectu. Secundum animam audax, avarus, fraudulentus, peculator, raptor, infidelis, insignis nugator, inverecundus, levis, inconstans, iracundus, seditiosus, suspiciosus, impatiens, homicida, jactabundus, derisor, perjurus, falsarius rerum omnium, quæ adulterari possunt.

Conclusio operis Chyromantici.

His brevibus, lector optime, finem esse volumus Chyromantiæ nostræ, ne quando pluribus ambagibus simus molesti tibi, ubi si rem ipsam acu (quod ajunt) tetigimus, id est quod conabamur. Sin aliter, id vel maximè donandum mihi puto, quòd ausus fuerim. In magnis siquidem vel voluisse sat est. In summa, sic tractavimus omnia, quo & posterius etiam colligere spicas permittatur. Neque ego ita absolutam volui esse hanc artem, ut nihil superaddi possit, vel debeat. Imo rem mihi faciet gratissimam, qui sic nostra emendaverit, ut adferat probatiora, tantum abest ut feramus ægrè. Vale felix qui hæc legeris. Ex ecclesia nostra Steynheim, Kalend. Novembris Anno salutis 1522.

Prognostica Chyromantiæ quantum ad locus Planetarum septem.

PRæter characteres & lineas quæ passim in manibus sunt interdum & notæ peregrinæ comparent: quæ nescioquid magni præ se ferunt. Hæ nam quid velint sibi, curæ nobis fuit adscribere laconismo nostro quo solemus. Naturas signorũ jam alibi diximus, & quis planetarũ cujusque dominus sit: nunc periculum faciamus, quid in planetis suspecta signa, non ea dico quæ in cœlestibus sunt, sed quæ digitis sunt notulæ planetarum, valeant.

DE

De loco Martis.



LOcus Martis in triangulo est. Si igitur illic conspexeris signa hujusmodi ducta in hunc modum, hic Martialis est, & præfocabitur laqueo. Reliqua tria juxta mensam manus, audaciam, pertinaciam, severitatem, præterea & patrimonii dissipationem, oppressorem affinium & cognatorum suorum significant.

De digito Veneris.



VENVS pollicem occupat una cum musculo, qui propter contiguitatem appellatur mons Veneris. Si itaque in prima junctura extare videris signum tale, hic pleraque in rebus omnibus prosperabitur. In secunda junctura, pauperem. Iuxta unguem, leprosam habiturum sobolem. Alioqui semper in loco Veneris venerecum indicat, & incestuosum, adulterum, percussorem uxoris, in primis si in monticulo conspiciantur hæc signa.

De

De digito Iovis.



HABET & suas notulas Iupiter, qui Indicem possidet, eas subscripsimus. In prima junctura adulterium significant. In superioribus opes præcipuè in senecta. Cætera ut multum nihil præsagiunt mali.

De digito Saturni.



SATVRNVS in cæteris extremus, hic medium digitum obtinet, privatas suas notulas habet: eas sic annotavimus. Ostenduntque Saturnicum hominem, cujus naturam partim ex præcedentibus nosti, partim dicemus in sequentibus.

DE

De digito Solis.



IN annulari, qui propriè Solis dicitur, in eum modum picta linea, longævam vitam & prosperitatem significat, Quicquid aliud apparet, à malo est.

DE

De digito Mercurij.



MINIMVM Mercurio deputarunt, & cum hoc Mercurialibus certas lineas, quibus cognosci Mercurialis potest: has breviter accipe. Notant enim quædam beneficia vel officia. Alia tristitiam, melancholiam & angustias.

De loco Lunæ.

LVNÆ locus à percussione manus est, vel altero musculo. Exinde si à restricta ascendant suprascriptæ lineæ quas vides, ignaviam indicant. Alioqui in loco Iovis bardum & stultum, maximè si fœmina sit, quæ natura ipsa non multum sapiunt.



CONCLVSIO.

Habes breviter Lector optime, signa planetarum, quibus extra Astrologiam etiam, cui quisque planetæ subjectus sit, discere potes. Opellam hanc nostram boni consule, atque pertenta rem ipsam opere aggredi: ne omnino frustra hîc sudasse videamur, Iudicio tantum opus. Labor tam nullus est, ut vel una saltem, & altera lectione rem omnem adsequare.

FINIS LIBRI I.

DE PHYSIOGNOMIA
LIB. II.

De judicio Frontis. CAP. I.

NON sum nescius, quàm nihil fidendum in fronte sit, quæ ad quamlibet statim passionem mutatur. Illud tamen observatum video, plerosq; non melius dignosci quam fronte: adeoque sic obtinuisse apud vulgum, ut quosdam perfrictæ frontis, dicamus in eos, qui pudorem omnem abjecerunt: quòd nullibi magis quam in fronte, & in oculis pudor ipse conspiciatur. Quod si damus: neque frustra potest esse, quod proverbiis celebratur, & prophetiis palam fit: non esse præposterum, vel inconveniens, si præ cæteris membris ab ipsa fronte exordiemur. Est autem alia ratio latæ, alia rotundæ. Quod, quo fiat perspicacius, brevibus rem omnem aperiemus.

Frons perfricta.



Frons elevata. Rotunda.

Quæ in gyrum elevata est, à quibusdam probatur: maximè si capiti bene respondeat. Sin autem temporum prominentias occupet rotunditas illa, sitque subinde depilis, indicat præstantiam ingenii, cupiditatem honoris, arrogantiam, & quæ magnanimos omnes consequuntur.

Glabra.

Glabra & complanata cuticula, nisi intra superficiem nasi, prophanum, fallacem, iracundumque significat.

Caperata.

Caperata, & rugis contracta, in medio tamen declivior, una cum duabus optimis virtutibus, videlicet magnanimitate, & ingenio, pessimum vitium habet crudelitatem.

Prægrandis. Oblonga. Confusa.

Prægrandis, rotunda, depilis, audacem, & mendacem. Oblonga, cum oblonga facie mento tenui, crudelitatem & tyrannidem. Confusa & tumida nimia vultus pinguedine: instabilem, phlegmaticum, crassum, hebetem. Hæc summatim & sub compendio, quantum ad Astrologiam, satis est.

De judicio Superciliorum. CAP. II.

Supercilia rubea. Alba. Concreta. Experimentum. Hirsuta. Mollia. & plana.

ET supercilia ipsa in proverbium abierunt, ut qui cristas erigit, volueritque super alios efferre se, superciliosus dicatur, quod non multum abludit à vero. Indicat enim revera, si complicata & dura, vel rubea fuerint supercilia hominem inverecundum, impudentem, invidū. Alba verò, fœminivirum, citò credulum, stolidum. Quanquam pessima omnium sint concreta, & quæ contingunt se: notantque maleficum, plagiarium, maleficis artibus deditum. Id quod palam ipse vidi in vetulis sagis, quæ jam ad incendium ductæ, hujuscemodi præferebant supercilia. Quibusdam titillant, videnturque modicum subagitare se: quod similiter audacitatis & animositatis indicium est. Hirsutiora, simplicem: molliuscula plana atque invicem respondentia ex æquo sibi nigrantibus pilis, contemperatam complexionem, & probum.

De judicio Oculorum. CAP. III.

Oculi bene decori.

SIMILI modo & probitatem oculi, & improbitatem arguunt, vel Servatoris nostri testimonio sic in Evangelio loquentis. En quia oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? & rursum si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.

Est

Est autem conjectura talis. Sic ubi videris quempiam benedecentibus oculis præditum, atque iis vigilantibus, apertis, lucidis, claris, mediocribus, neque rotundis ad-



modum: ex ipsa proportione animus metiendus integer & sanus. Quibus verò in morem vitellorum propendent extra foramina (ut in paucis hoc conspicere licet) ita insigniter delirantem portendunt, crassum, & hebetem: ad hoc etiam luxuriosum, pigrum, mendacem, simplicem. Similiter si vel nimis ampli sint, aut prodigiosæ aperturæ. Ediverso profundi, invidum, malicioſum, structorem malorum, iracundum, suspicioſum. Sic quibus compressi sunt, & velut ad scopum intendentibus, crudeles, tyrannos. Vbi verò deflacceſcunt, volvunturque ultrò citroque (qui mos est eorum qui jam frontem & pudorem omnem abjecerunt) impudicos, arrogantes, instabiles, mendaces, pessimè autem omnium, si citrinati fuerint atque fucati.

Propenduli.

Profundi. Compressi.

Distillantes rubei.

Quibusdam distillant atque rubescunt, quod non naturam indicat, sed humiditatem cerebri, & phlegmatis abundantiam. De iis satis.

De

De judicio Nasi. CAP. IV.



DE naso Rhinocerotis proverbium in eos qui alios rident. Habent enim hoc, qui naso sunt aduncо, ut & ipsi facilè alios rideant. Quanquam alioqui apud Persas decori hoc sit magno, atque eodem aduncо præditum esse. Sicut illum suum Xerxen habuisse memorant historiæ Xenophontis & Plutarchi, & usque in hanc etiam diem, neminem subrogant ad id fastigii nisi adprime fuerit nasutus. Ferunt & hunc fuisse audacem, derisorem, & magnanimum. Vnde augurantur, derisores & audaces esse, qui hujusmodi habent, impostores, proditores, rapaces, avaros. Hoc de iis, qui recurvos habent naſos, ut accipitres & aquilæ. Qui verò cum curvitate supernè prominentiam habent, remissa nonnihil curvitudine, de iis aliud judicium est. Hi ut plurimum liberales & magnanimi sunt, eloquentes & superbi. Nisi ubi illius apex fuerit exacuatus vel acuminatus, qui quo magis exacuitur, hoc amplius reddit iracundum, severum, tergiversatorem.

Est autem hîc maxima varietas, ut fermè non sit alia distinctio facierum quam per nasum, potissimum tamen discrimen in longitudine, densitate, & curvitate. De in-

Oblongi. curvis jam diximus. Oblongi, si admodum in lateribus prominentes fuerint, sinceritatem præferunt animi, sed corpore atque castitate parum potentem continere, adprobè mentulathum, appetentem coitus. Crassicies & amplitudo narium, hebetudinem adjicit, stoliditatem, amentiam, derisionem, dolum atque immoderatum appetitum ad coitum. In medio latus, atque nonnihil compressus, in summitate verò elevatus: mendacem, protervum, crudelem, loquacem, petulantem. Longus & undecunque rotundus, rapacem, & cælitus fato quodam proclivem ad malum.

Nares ample.

Latus.

Longè rotundus.

Livido rubeus. Et est in colore discrimen. Vbi si lividus sit, vel rubeus, aut sanè rubeis fibris intertextus, vel punctulis: egregium inde potorem elice, ebrium, sticulosum, calido hepate, deditum luxuriæ, ex ægritudinibus verò morpheæ.

Corruptionis indicia. Illud obiter adnotamus, de corruptis juvenibus, & juvenculis si quis scire cupiat. Nam illud præcipuè ex naso cognoscitur. Cartilago quæ in apice nasi est, si secare se permiserit, atque perinde attactu findi digitulo potest: indicium est corruptum, vel corruptam esse. Sunt & alia pleraque, quæ quoniam ad præsens negotium minimè promovent, lubens prætereo.

De *Oris Physiognomia, & quid ex illius aspectu divinandum sit.* Cap. V.

Os patulum. Oris physiognomiam & labiorum uno sermone explicabimus. Os aut magnum est & patulum, aut angustum. Patens, quo præcipuè videmus insignitos Francossabrones, audacem, obstreperum, impudicum, mendacem, impostorem, luxuriosum significat, neque me unquam hîc fefellit judicium. E contra angustum, retentorem arcanorum, modestum, sobriũ, pudicum, timidum & largum. Fetulentiã anhelitus vel dentium, medicorũ scholæ dimittimus, quæ ab illis & copiosius & eruditius explicantur. Illud experientia compertum est: tenuibus labiis loquaces esse, & eloquentes, garrulos, sagaces, prudentes & ingeniosos. Præ grandibus autem labris, & quibus dependet labium inferius, adeò ut emineant dentes, bardos, stupidos, indociles, impuros, luxuriosos, inconstantes, & malos.

Angustum.

Labia tenuia.

Præcauenda.



De *Physiognomia Linguæ & Dentium.* Cap. VI.

Lingua grossa. Tenuis. Lingua pusillum quidem membtum, sed magna jactans, incurabile malum, plena veneno mortifero, & eò pestilentior, quòd neque ex physiognomia, neque aliunde pervestigari satis potest. Vtcunque animadvertatur in eam, rarò sui similis est, nisi quantum ad balbutiem attinet & eloquentiam. Balbutiem efficiunt grossæ, immoderatæ, prælongæ. E regione tenues, acuminatæ, limatæ viperarum more, eloquentiam, astutiam & calliditatem præ se ferunt. Tametsi hîc aliud fingant Astrologi, non linguæ vitio tribuentes balbutiem, sed Mercurio everso, & eo retrogrado. Sed hæc alias.

Dentes spissi. Dentium eadem ratio est. Hi si spissi sint & canini: ex ipso robore vitam longam præsagiunt. Neque video, quid hîc multis sit opus: cernere enim est decrepitos jam, qui nihil unquam molestiæ perpessi in dentibus sunt. E converso marcidi, minuti, brevitatem vitæ, caloris abundantiam, noxium humorem: cujusmodi sunt fermè cholericorum. Alioqui quoad animum nihil videntur mutare, quod

Marcidi.



Dislocati.

quidem obſervatum ſit. Vbi dislocati fuerint, aut extra ſeriem ſtantes, videntur nebulonem indicare, loquutuleium, inſolentem, pompoſum, & inſtabilem.

De Mento. CAP. VII.

Natura vitiati.

DE Mento video convenire Philoſophos: ut ſicut naſus recurvus, ſive aduncus, vel præacutus ſemper iram, audaciam, & tyrannidem notat: ita & mentum ſignificare ajunt acutum. Illud verò non poſſum non exponere in lucem, qui membris aliquibus mutilati ſunt, quo ab illorũ commercio temperemus, ab iis inquam qui membris aliquot orbati ſunt per naturam, non arte vel maleficio. Et quanquam fortaſſe curioſum vel ſuperſtitioſum id eſſe videatur, proditum tamen eſt ab ſapientiſſimis viris, è quibus hæc decerpſimus, à Galeno, Hippocrate, & ab his etiam quibus malè propitia fortuna eſt: verbi gratia, quibus mutilati ſunt oculi, nares, os, pedes, manus, & altero claudicant pede: vel de quibus conſtat, quod Saturnici ſunt. Superſtitioſum inquam videbitur quod dico: ſed tamen quod verum eſt dico, & audacter dico. Diſſentiunt ſibi invicem Saturnici & Ioviales, Martiales & Venerei. videas id in hominum conventibus, & conciliabulis. Videtur autem neſcio quid aliud



aliud intervenire, cum revera nihil ſit aliud, quam planetarum repugnantia & aſpectuum infelicitas. Frigidus eſt Saturnus & ſiccus, Iupiter calidus & humidus. At qui jam poteſt fieri, caliditas & frigiditas ut ſibi non repugnent? Rurſum Saturnus pigros efficit, & tenaces, & tardos, ſolitarios malos, intractabiles. Iupiter humanos, flebiles, dociles, benignos. Quod igitur in planetarum qualitatibus eſt, id pro rerum & ingeniorum inclinatione atque influentia, efficit in illis planetarum qualitas. Quis horum ingenia componet? aut quis hic extricabit ſe? At qui id jam ex Aſtrologia didicit, novit quid cuique donandum ſit, ut quisque tractandus eſt, poteritque ex ſuis affectibus remittere interdum aliquid, ut Venus quæ ipſa natura cum Marte non ſtat, ſua tamen mollicie alterius temperat ſævitiam. De ſignatis illud nullibi non celebratiſſimum eſt, quod Ariſtoteli tribuunt, cavendum eſſe ab his quos natura ſignavit. Saturnicorum meminit & eleganter doctiſſimus Marſilius Ficinus libro 3. de vita cœlitus comparanda, ejus verba ſic habent: Saturnini evadunt immundi quidem, ignari, invidi, triſtes, dæmonibus immundis expoſiti; quorum commercium procul effugito. Nam Saturni quidem venenum alibi ſopitum latet, ceu ſulphur à flamma remotum: in viventibus verò corporibus ſæpè flagrat, atque ut ſulphur accenſum, non cumburit

Ariſtoteles. Marſilius Ficinus.

rit solùm, sed etiam vapore noxio omnia circumimplet, atque inficit appropinquantes, &c. Ita etiam Ioviales præsente tali aliquo signato infelices evadunt. Hactenus Marsilius. Apollonium Thianeum fama est, in Epheso deprehendisse Saturnium senem, qui sola præsentia sua totam urbem infecerit pestilentia. Hæc cùm copiosè ab eodem viro sapientissimo tractata sint, cætera solicito lectori relinquimus, nobis sat est indicasse autorem.

Apollonius Thianeus.

De Capillis, & aliis accidentibus. CAP. VIII.

Capilli.

CAPILLORUM physiognomiam ita rectè describemus, si primum illorum naturam adsignaverimus. Non sunt aliud capilli, quàm vapor calidus & siccus ab aere circumstante indensatus & siccatus. Qua finitione id in primis palam fit, senes & saturnicos depiles esse ideo, ob perpetuum in viribus gelu. Cholericos item hirsutos, comatos, propter ca-

Depiles saturnini.



lorem, & adustos humores. Nisi in quibus nimium calor ille abundat. Quod autem crispi sunt quidam & retorti, id potis adscribunt medici, qui præfracti comam quoque sic disponunt: subinde feramus nunc judicium. Cæsaries plana,

Capilli plani.

plana, mollicula, tenuis, mollem, tenuem, timidum, remissum, pacificum indicat. Tenax & grossa: audacem, robustum, fallacem, fortunatum. Sunt quibus frons capillitio est, & tempora hirsuta, iis tribuemus luxuriam, vanitatem, arrogantiam. Crispitudini tamen si accedat duricies, semper ignaviam ingenii præ se fert. Quæ verò in angulis temporum in morem cornu effertur crispa, & galeata, vel cristata, præ cæteris hominibus gravi alicui vitio implexum & deditum: rubeam habentem similiter, sed quod nemini non compertum habetur. Illa optima est, quæ candenti quodam nigrore nigrescit. De his pronunciandum, quod prudentes sunt & cogitabundi, fideles, probi: pariter & alba, flava, glauca, vel subalbida. Illud ex medicorum decretis obiter etiam adjiciendum censemus, quibus præmaturi subcrescunt cani, in juventa esse incontinentes, impudicos, & instabiles. Præterea & illud traditum ab Alexandro Aphrodiseo, quod humor ille qui masculis in comam resolvitur, mulieribus convertitur in menstruum, vel in lac, si conceperint. Et quibus barbitium succrescit, has quoque viragines dicimus, certi quòd coitus sunt appetentissimi.

Tenaces. Frons capillitio.

De Physiognomia faciei. CAP. IX.



EX tot hominum faciebus an non mirum videtur tibi, quòd vix duo sibi conveniunt? Quo fit etiam, ut ne hîc tradi certa conjectura possit. Quis enim poterit omnium animos scrutari? Si quis tamen curiosior fuerit, habeat id colorem & proportionem. Colorem extrema vel temperamenta ut in picturis præstant, ita in faciebus vel bonitatem arguunt, vel malitiam. Rubeus nullibi non suspectus est, etiam ex proverbio, complexionem indicans calidam. Illaudatus & lividus vel plumbeus præter saturnicam inclinationem & atram bilem, etiam pessimas animi affectiones significans: ut puta invidiam, iram, rancorem, machinationes, insidias. Albus fœmineus, mollis, frigidus, frigidum quoque & mollem efficit. Præterquam ubi albedini quædam rubedo sanguinea interposita est, eam cernere est in sanguineis: hic inter omnes non solùm laudatissimus est, sed honestis etiam rebus occupatum efficit, & ad omnia idoneum.

Facies rubea.
Livida.
Alba.



Oblonga. De ipsa verò proportione hoc tene. Aut oblonga facies est, prominentibus hinc inde maxillarum ossibus: & homi-

hominem divinabis audacem, superbum, injuriosum, rixosum, fallacem. Aut mediocris, non macilenta admodum, neque præpinguis, aptum significat ad omnia. Carnosa, pigrum, phlegmaticum, tardum, lentum, timidum, venereum, instabilem, præsumptuosum: & quo major accesserit crassicies, hoc hebetiorem reddit, & intractabilem. Macilenta verò mediocris, ingeniosum, studiosum, prudentem. Inflationes verò maxillarum, non accedente carne, aliud præsagiunt. Nempe epilepsiam, & regium morbum. Pallida nusquam probatur. Crocea, quæ tamen ex natura crocea non est, aut icteritiam, aut oppilationem splenis, aut inundationem fellis & choleræ. Medicorum sententia, nunquam ad sexagesimum annum provehuntur hujusmodi. Cætera quia trivialia sunt, libenter dissimulamus.

Mediocris. *Carnosa.* *Macilenta.* *Pallida.*



De Physiognomia Aurium. CAP. X.

AVRES tametsi ad prospectum non veniant quibusdam, tamen patulæ, oblongæ, & asininæ sunt, & ex naturis potius animalis metiuntur quàm aliunde. Auriti in morem asinorum ignavos *Auriti.*

Suetiniani. vos significant, & asininis moribus. Succincti & minutis auribus ut simiæ instabiles & fallaces.

De *Physiognomia Capitis.* Cap. XI.

Caput acuminatum. Rotundum. Exile. IAM omnia illa si sumas invicem, os, mentum, labia, capillos, frontem, oculos, tempora, caput constituunt: aut prodigiosæ magnitudinis, aut exile. Supernè acuminatum, instabilem, bardum, indocilem, hebetem, invidum significat. Rotundum mediocri mole, ingeniosum, sagacem, astutum, bonæ memoriæ. Rursum exile, & gurgulione non admodum oblonga, sensatum, prudentem, doctum. Vel exiguum caput & prælongum collum, infortunatum, debilem, insipientem.

De *colore totius capitis & corporis.* Cap. XII.

Corpora delicata. ET quod de membris diximus, idem de toto corpore sentiendum putamus. Corpusculum ipsum si tactu expenderis, licebit in promptu dignoscere qualitatem vel complexionem. Delicata & gracilia, benè curata cuticula, & carne molli, maximè si ruboris nonnihil accedat in genis, sanguinis dominum significat. Alba, carnosa, mollia: phlegma. Fusca, subrubicunda: choleram. Nigra, subnigra, pallida, vel subpallida: melancholiam, vel aduſtam choleram. Sic si rugosa, nervosa & calloſa cutis sit, identidem choleram. Gracilia, tenuia, alba: phlegma, imbecillitatem, & hujusmodi.

Alba. Fusca. Nigra. Rugosa. Gracilia.

De *Brachiis.* Cap. XIII.

DE brachiis nullum negotium est, neminem tam esse crassæ Minervæ puto, qui non protinus robustos ac fortes judicet, quibus nervosa vel carnosa sunt brachia: cum his potissimum constent robur & vires corporis. Præterquam ubi carnosa cute, nervi non adeò varii & multiplices sunt: hujusmodi sunt phlegmatici, & sanguinei, proclives ad ignaviam. Portentosè prolixa, audaciam, fortitudinem, ignobilitatem, & cum hoc vitam bre-

brevem significant. Curva respectu staturæ, vel molis corporeæ, ingratos, impudentes, avaros, obtrectatores, invidos, superbos, haud multum discrepantes ab iis quibus pilosa brachia sunt: quos similiter petulantes, venereos, vafros, astutos, instabiles, & verbosos pronunciare oportebit.

Prolixa. Curva.

De *pectore & costis.* Cap. XIV.

Pectus prominens. LEONIS non rubor modò, sed & audaciam ex pectore maximè dijudicant qui naturas animaliũ descripserunt. Ex eadem conjectura, & fortem hominem & audacem dicimus, cui pectus sit prominens, & luxuriosum, procacem, lascivientem in verbis, superbum, iracundum, tenacem. Cui verò hirsutum & quadam pilorum silva obductum est, cholericum indicat hominẽ, cum suis proprietatibus. Recalvum, frigus & phlegma significat. Vnde quibus in gibbum elevatum inæquale erat pectus altera parte, hos deprehendimus fallaces, insidiatores, & ad pessima proclives, martiales, vanos, hypocritas, ita quibus supernè usq; guttur rubet pectus, comperimus iracundos, contentiosos, præsumptuosos, arrogantes, inconstantes, timidos tamen. Illud tamen optimũ esse decernũt, quod planũ, quod carnosum, mediocre, & depile est.



Hirsutum. Recalvum. Pectus rubeum. Planum carnosum & depile.

Nam

Nam est indicium hoc discreti, prudentis, & bonorum naturalium. Et ne quid etiam, quod ad medicinam spectat relinquamus intactum, aliud quoque non indignum scitu est, quibus minuta sunt corda, cæteris esse cordatiores, quòd spiritus illi impellentes vitales, in minuto membro præsentiores sibi sunt, quàm in prægrandibus, ubi facilè dispergantur.

De Physiognomia manus. CAP. XV.

MANUUM Physiognomiam, quoniam abundè descripsimus in libro nostro de Chyromantia, istuc remittimus lectorem.

De ventre, dorso, & iliis. CAP. XVI.

NON multum negotium est, etiam è ventre judicare qualis quisque sit, atque item, è tergo, & iliis. Sunt enim hæc non minima corporis membra. Sed quæ hæc sint audiamus.

Venter pilosus. Venter pilosus & umbilicotenus hirsutus, cum primis luxuriosum significat, deinde audacem, atque magnanimum, prudentem, intelligentem, studiosum, solertem, alioqui tardè fortunatum.

Macer. Macer & tenuis, calidam atque cholericam complexionem, nonnunquam etiam melancholicam indicant complexionem.

Adipesus. Vt plurimum qui adiposos habent & crassos ventres, ingenio quoque non multum valent. Illud jam crebra experientia compertum est.

Tergum amplum. Tergum illud laudatius est, quod amplum & robustum est, indicium etiam fortis & robusti hominis.

Gibbosum. A gibbosis & recurvis quidam cavendum suadent, quod præ cæteris insigni aliquo scelere præstant, maxime detractione & invidia.

Coxæ crassæ. Coxæ idem indicant ferme, si crassæ sint & carnosæ, quod carnosæ suræ & pedes: nempe audacem, & fortem.

Sura.

Pedes.

Eadem

Eadem ratio quorum crura nervosa sunt, macra, tenuia, exilia nemo non videt imbecillitatis esse indicia. Impotentiæ illud vel maximum argumentum existimant, si depiles sint pedes: è diverso incontinentiæ, audaciæ, si quàm maximè hirsuti sint. Ita quibus duri sunt, hebetes & obtusos: quibus verò molles, leves, levia atque mollia quoque ingenia.

Mulieris pedes. De mulieribus hoc observatum habent: ut quibus prælongi sunt pedes, hæ ad procreationem liberorum sint aptiores. Ajunt enim generandi appetitum potissimum decerni in pedibus, & in muliere vulvæ signum esse pedem, id quod asserere videtur Albertus in libro quem inscripsit de Arcanis mulierum, videlicet mensuram medii pedis, neque omninò etiam malè. Lego enim apud alios scriptum, qui è medicorum sunt cohorte, nisi calefactis pedibus vix quempiam posse concumbere.

De tota hominis statura. CAP. XVII.

Maximinus. LICEBIT & ex statura judicare. Sic enim proditum ex historiis legimus de Maximino, qui ob insignem ac bene portentosam longitudinem pro bardo habitus est. Vnde etiam illud dimanavit proverbium. Climacis ægyptia, & caliga Maximini. Quanquam quid de hoc attinet citare aliquid? cùm passim videamus, omnes eos qui tam prodigiosæ longitudinis sunt, parum vel nihil omnino sapere, atque id potissimum si macro fuerint & oblongo corpore, extento & ciconiano collo. Hujusmodi animadvertimus quosdam in aula Friderici tertii, & Caroli Imperatorum ad miraculum macilentos & proceros, suspiciendæ amentiæ & stoliditatis. Neque multum ab iis etiam distant, qui curviter incedunt. Vnde illud irroboravit fortasse veteris proverbii: Rarò vidi procerum sapientem, & parvum humilem. Quæ verò mediocris est, decenter obesa, simulatque qualitatibus

aliis

aliis probè instructa, ingenioſum, prudentem, & in rebus omnibus expeditum denotat.

Epilogus & recapitulatio totius Phyſiognomicæ artis.

Hæc quaſi præfati, ut ad ſummam reducamus omnia: tametſi & ipſa quæ diximus ſufficientia videri poſſint. Ad ſummam igitur ſi metiantur à vertice usq; ad talos omnia membra, ſic pronunciandum eſt de ſingulis, de oculis in primis. Hi quibus contigerint humidi, lucidi, hilares, vibrantes, hujusmodi etiam mores indicant, nempe hilares. Sed hæc perſpicacius videri poſſunt, ſi velut in tabula è regione ſubjiciamus, quid quodlibet membrum ſignificet id enim intendebamus. Porrò ſitum ipſum locavimus talem.

Oculi humidi, lucidi, hilares, probos mores, vitam conſpicuam. Obſtipi, defixi, ſubruffi prægrandes, voracitatem. Parvi, defixi, avaritiam. Glauci, inſidiatorem. Defixi, doloſum. Mobiles, ſeditioſum, ſuſpicioſum, infidum, oſtentatorem. Ampli, ſegnes. Trementes, ignavos. Micantes, violentos. Parvi, impudentes. Subtremuli, iniquos. Varii & parvi, doloſos, adulatores. Ad naſum vergentes, venereos. Ampli, ſtillātes, mobili aſpectu, furentes. Aridiores, verſutos Tremuli, impudentes. Nigri, & clari, juſtum, ſolertem, libidinoſum. ſcitum. Ambitus eorum viridis, doloſum, iniquum, furem. Humidi, mentis magnitudinem, integrum eloquium, rectum conſilium. Magni vibrantes, dementes, leves, guloſos. Sinuoſi, cavi, & aridi, perfidos, proditores. Excelſi, ampli, lucidi, puri, humidi, ſolertes, ſtudioſos, amatores. Fluidi, lacrymoſi non ex ægritudine, ſtultos. Caligantes & aridi, perfidos. Vibrantes, ampli, humidi, lucidi, intelligentes, ſublimes, violentos, magnanimos, jactabundos. Nigri & reſplendentes, timidos, peſſimos. Circumturgentes, crudos, guloſos, inamabiles. Puſilli & cavi, cupidos, inſidiatores. Hilares, juſtos. Proclives ad riſum, humanos, pios. Humidi, boni conſilii. Triſtes & humiles, vel humidi, ſtudioſos. Cum ciliis recedentibus, amabiles. Conniventes, inſidiatores, fures. Lippi, libidinoſos. Protenſis ſuperciliis, effœminatos. Luſitantes ciliis, adulteros.

Frons anguſta, ſtolidum. Longa docilem. Sublata, turgida, rotunda, verſutum, vergiverſum, Rugoſa, curis oneratum. Rotunda, invidum & doloſum. Ampla, largum, liberalem.

SUPERCILIA piloſa, balbutiem. Protenſa ad tempora, immundiciem.

FACIES plana, litigioſum. Carens tumore, injurioſum, immundum. Macilentior, ſapientem. Carnoſa, docilem. Triſtis, ſtultum, prudentiam.

AURES patulæ, inſenſatum. Vaſtæ, imprudentem. Parvæ, ſtultum Quadrangulæ, eruditum.

NASUS acutus, iracundum. Craſſus & humilis, malis moribus. Vergens ad os, honeſtum, fortem, docilem. Magnus, bonum Parvus deceptorem Simus, libidinoſum.

NARES ſolidæ, fortitudinem. Rotundæ, timorem, Diductæ, alacrem. Anguſtæ & rotundæ ſtultum.

OS latum, bellicoſum, audacem. Vaſtum prominente labio ſuperiore, voracem, impium, loquacem, temerarium, ineptum, crudum.

LABRA exilia, tenuia, ſubtilia, eloquentem. Subtilia in ore minuto, effœminatum. Carnoſa, ſtultum. Quibus canini dentes labra extollunt, contumelioſos, parum fidos.

GUR GULIO aſper, nugacem, inanem.

CERVIX longa, exilis, timidum, malis moribus. Craſſa, longa, furioſum, timidum, pertinacem. Mediocris, docilem, robuſtum, virtuoſum. Craſſa, rudes, barbaros, difficiles, Aſpera, contumelioſum. Curta, temerarium. Incurva, incurioſum, avarum. Flexa in dextrum, temperatum. In ſiniſtrum flexa, ganeonem, ſtultum.

PECTUS ingens, laudatum. Amplum, magnanimitatem, audaciam, probitatem Parvum, timidum. Corpulentum, inhumanum, crudelem.

MAN-

MAMMÆ pendentes à pectore, violentum.

VENTER magnus, indiscretum, stolidum, superbum, luxuriosum. Strictus amplo pectore, intelligentem, consiliarium.

TERGUM latum, generosum. Mediocritas tergi & pectoris laudabilem. Incurvum, parcum, avarum.

BRACHIA prælonga, audaciam, probitatem, robur. Succincta, seminarium discordiæ, libidinem.

MANUS curtæ admodum, crassum, rudem. Pingues cum digitis, furaces. Parvæ, versutos.

PEDES carnosi, fatuitatem. Parvi, leves, duriciem.

TIBIÆ subtiles, ignorantiam. Grossæ, audaciam, fortitudinem. Latæ, fortitudinem. Nervosæ, robur. Curtæ & pingues, immanitatem. Gibbosæ & cavæ infernè, malos homines ostendunt. Molles, turgidæ, moratos.

SURÆ crassæ & curtæ, asperum calcaneum, pinguia crura, futuram insaniam ostendunt.

HÆC sunt in physiognomiam artem introductiones breviusculæ, quibus adjutus quilibet, ingenia hominum dijudicare potest. Neque me fugit, eandem fermè fabulam egisse Aristotelem, medicos, Vallam, atque alios quamplures. Non minuit hoc nostrum conatum vel honorem. Id præstitimus quod potuimus, vel illorum etiam adjuti opera. Quòd si dentibus suis roserit nos caninis quispiam: sciat non commentarios scripsisse nos, sed compendium: atque ita finis esto.

PERIA-

PERIAXIOMATA DE FACIEBVS SIGNORVM, QVID in una quaque domo efficiat in natis Sol. Liber ordine III.

PRÆFATIO.

CVM in disciplinas Astrologicas inducere atque imbuere decreverimus studiosos, sintque multa quæ circa hæc observari oporteat: post domorum situm, & judicia horoscoporum, id jam reliquum est, de faciebus cognoscere signorum, quid singulis in gradibus efficiant. Nam aliam ac aliam Sol, atque cæteri planetæ in gradibus & faciebus habent operationem. divisa enim aliud in prima, aliud in secunda, aliud in tertia agunt facie. Quod ut intelligas, quodlibet signum in triginta gradus partitur. Triginta hi gradus sic in tres partes secentur. Prima series usque ad decem, primam faciem tenet. Deinde à decem usque ad viginti, quicquid intervenit secunda dicitur. Residuum usque ad triginta tertia: atque in hunc modum supputandum est cum reliquis signis. Hi gradus, quo magis ac magis augescunt, tanto in vigore, præcipuè in ultimis faciebus decrescunt, fiuntque remissiores in fine quàm vel initio vel medio extiterunt. Hæc atque alia breviter adnotavimus ex Abraham Hali, Alcabitio, Firmico, &c. Quod si iterum Zoilus quispiam obganniat nobis, cur hæc ad nostra trahamus. Huic respondemus, viros illos doctissimos, non omnia edocenter scripsisse, quæ consummatum possint efficere Astrologum; verum magis sui admonendi quàm aliorum docendi gratia. Atque his ita prælibati, ad Arietem progredimur,

Signa in gradus.

Sol in Ariete. ♈

SOL igitur in Ariete, quod primum signum est inter reliqua signa duodecim, in primis decem gradibus editos in lucem, facit communiter subruffos; simios, ventre exili & angusto, macilentos, atque signatos in sinistro pede vel cubito micos habentes plurimos, odientes malum, prosequentes quod optimum est.

In secunda facie, id est, à decimo gradu Arietis, usque ad vigesimum, facit nigrum, qui nigor tamen non in vitium reputatur, sed in venustatem & maximam civilitatem. Temperatæ quoq; qualitatis, & iracundum, suspicionosum, fraudulentum, cordatum, septum inimicis pluribus, qui hunc venantur ad mortem.

In tertia facie, interdum ruffum, croceo permixtum colore, solitarium, meditantem insidias, & fraudes frequenter.

Sol in prima facie Tauri. ♉

NATVM in prima facie navum facit, & prægrandibus aliquando oculis, labronem, signatum in cervice, verum, festivum admodum, in delitiis semper occupatum.

In secunda facie lascivum, libidinosum, sed non usque adeo ut prima signi facie, vagabundum tamen atque mutabilem.

In tertia facie frigidiorem in complexione: propter Saturnum, qui hanc ultimam faciem possidet. Gignit & autium, ventris ac crurium dolores.

Sol in prima Geminorum facie. ♊

SI cui in prima facie Geminorum ceciderit nativitas, faciunt moderatæ staturæ, corpore pulchro, membris omnibus bene compositis: signatum in capite, vel genubus: mansuetum etiam, laboriosum, & ab mulieribus diffortunatum, ac communiter sterilem.

In secunda facie minuunt staturam, addunt nigredinem, signant in cubitu in genitalibus: & quod in aliis diminutum videtur, in eloquentia reparatur.

In tertia deficientibus gradibus, decrescere faciunt & in natis

natis probitatem & debitam membrorum proportionem: faciunt insensatum, & nugarum disseminatorem.

Sol in Cancro. ♋

NATVM in decem gradibus primis, corpore & pilis decentem facit, strictis superciliis, eruditi ingenii, signatum in brachio dextro, & cruribus: præterea animam influit bonam, & amicorum copiam.

In secunda autem facie ruffo capillitio, brevi statura, imberbem, signatum in oculis.

In tertia facie crassum, hebetem, pilosum superciliis, pruriginosum, facie quasi insufflatum.

Sol in Leone. ♌

SIC in prima facie vitæ donarum, corpusculo venusto facit, rubicundo colore, modico permixto albore, variegatis oculis, corpore recto, pedibus autem morbidis, præcipuè in senio, fama atq; egregiis factis agnitum pluribus, simplicem, dilectum ab regibus & principibus terræ

In secunda facie pectore lato, testiculis & membris gracilibus, cordatum, & honorabilem.

In tertia facie statura brevem, colore roseo permixto etiam albore, obnoxium etiam multis ægritudinibus, scortatorem, & mulierum amatorem.

Sol in Virgine. ♍

FACIT natum decenti statura Sol, possidente virgine primam faciem, corpore procero, facie pulchra, sciolum, acutum, prudentem, crispo capillitio, cinœdum, comatulum, arguta & sonora voce, multarum artium peritum, sed infœcundum in procreandis liberis.

Sub secunda facie, similiter facie venusta, parvis oculis, pulchro naso, religiosum, doctum, probum, integrum, & laudis cupidissimum.

Sub tertia tamen facie simplicem, pulcrum, docilem, sensatum, prudentem, bonum.

Sol in prima facie Libræ. ♎

NATVM facit (cùm sit signum humanæ formæ) pulchra facie, simplicem, laboriosum, modestum, sauciandum aliquando in capite.

In secunda facie similiter facie pulchra, sed oculis lippis interdum, vel petis. nam vitium aliquod illis inerit.

In tertia facie honorabilem, observandum, pulchrum: in extremo verò nullius, vel certe utriusque sexus, caveat ne toxicum quippiam accipiat.

Sol in Scorpione. ♏

SOL in Scorpione facit difformem, in capite vel scapulis signatum, vel in sinistro pede vel brachio, amplo pectore, in proferendis salibus lepidum, sobrium, vel discretum.

In secunda facie, capite magno, multiloquum, signatum in genubus, vel tergo.

In tertia statura pusillum, contortis oculis, comedonem & scortatorem.

Sol in Sagittario. ♐

FACIT decorum aspectu, proceræ staturæ, aulicum, studiosum bonarum rerum.

In secunda facie statura decenti, aspectu pulchro, croceoque, superciliis conspersis, signatum in pectore.

In tertia facie, procerum, pulchrum, lato & patenti pectore, signatum in pectore & pede.

Sol in prima facie Capricorni. ♑

FACIT pectore aliquando amplo, tenerem, statura competenti, sed aliquantulum nigra, signatum notula in cubito vel pectore, astutum.

In secunda facie pulchrum, signatum brachio sinistro: si nativitas fuerit nocturna, malicioſum, naribus prælongis, ingenio acuto.

In tertia facie corpore venusto, facie citrina, signatum in brachio, vel genu. Iracundum, amabilem, amatorem mulierum.

Sol in Aquario. ♒

SOL in prima facie Aquarii facit corpore & facie formosum, signatum, vel in pectore, vel in sinistro pede, benignum, affabilem, tractabilem apud homines.

Sub secunda facie facit oblongum, rubea facie, signatum in tergo, vel cubito, tribulationibus variis obnoxium.

Sub

Sub tertia facie statura brevi, vultu roseo, signatum sub cubito, amatorem mulierum. Qui autem in postremo gradu natus fuerit, hunc non solùm in proportione corporis, sed in omnibus etiam actibus cæteris faciet disconvenientem.

Sol in piscibus. ♓

SOL in prima facie piscium facit corpore mollem, album pectore amplo, barbitio decenti, pulchra fronte, clara cute, oculis patentibus & pulchris, carnosum atque honestum.

In secunda facie statura brevi, æquali, nigranti barba, parum hirsutum, agilem, lætum.

In tertia facie in membris omnibus decorum, venustum: dat & vocis clangorem.

Significantia signorum.

HOC dignum ita notatu judicavimus: quòd certa signa sunt, sive formæ, quæ ad magnitudinem etiam in artificiali Astrologia tendunt, ut Leo, Virgo, & Sagittarius. Quædam ad diminutionem, ut Pisces, Cancer, & Capricornus. Et quod est à principio signorum Arietis, Leonis & Tauri, faciunt tendere corpora ad grossitiem & fortitudinem: & fines eorum ad macredinem tendunt & debilitatem. Similiter Gemini, Scorpio, & Sagittarii principia ad macredinem & debilitatem; & fines jam dictorum signorum ad grossitiem & fortitudinem.

Sed & Virgo, Libra & Sagittarius ad æqualitatem ac bonam proportionem: Taurus verò, Scorpius & Pisces (ut Hali inquit) tendere faciunt ad diversam proportionem corporis. Nati etiam in die limpidiores sunt illis qui in nocte nascuntur. nox namq; adjuvat planetas nigredinem & obscuritatem significantes: imò Epileptici erunt, in quorum nativitatibus Luna cum Mercurio est, nec unus ex illis complectitur ascendens in hora nativitatis: & si cùm hoc Saturnus fuerit in angulo in diurna, vel Mars in nocturna nativitate. Amentes autem eodem modo sunt, propter Saturnum in angulis in nocturna, & in diurna. Et maximè cùm Cancer, Virgo vel Pisces in an-

gulis reperti fuerint. Et cùm Saturnus in domo luminarium, id est, Cancro, vel Leone fuerit, passionem oculorum semper innuit.

Signa significantia pustulas, lepram, maculas rubeas, prurigines, impetigines, surditatem, balbutiem, calviciem, paucam barbam, sunt Aries, Cancer, Scorpius, Capricornus, & Pisces.

Signa multorum filiorum sunt Cancer, Scorpius, & Pisces.

Signa significantia honestatem mulierum & religionum, & eorum probitatem, sunt Taurus, Leo, & Aquarius.

Signa rationabilia sunt, Gemini, Virgo, Libra, prima pars Sagittarii, & omnes partes Aquarii.

Iracundiæ signa sunt & acuitatis, Aries, Leo, Scorpio.

Signa vociferantia & fortes voces habentia sunt, Gemini, Virgo, & Libra. Voce verò carentia sunt, Cancer, Scorpius, & Pisces.

Planetarum significatio.

Planetæ quæ dant divitias sunt tres. Iupiter, Sol, atque Venus. Sol etiam prudentiam, Mercurius eloquentiam largitur, Venus verò loquelæ ornatum.

Tria sunt signa orientalia. Aries est cor orientis. Leo secunda ejus triplicitas, & sinistra pars orientis, Sagittarius est dextra pars orientis.

Capricornus est cor meridiei, Taurus sinistra, Virgo dextra pars Meridiei.

Libra est cor occidentis, Aquarius sinistra, Gemini verò dextra pars occidentis.

Cancer est cor Septentrionis, Scorpius sinistra, Pisces postremò dextra pars Septentrionis. Ex iis si jam scire volueris, ad quidnam conferat talis signorum respectus & dispositio, id breviter sic accipe. Diximus tria esse signa Orientalia. Tria ad meridiem, ad Aquilonem tria, & tria ad Occidentem. Orientia conferunt nobis, si iis jam orientibus & persistente in iis Sole, ad eam partem locemus, constituamus, dirigamusque, ea quæ facturi sumus, nempe lectus, grabata. Veluti si vitam velimus vivere sanam leviter indormire, prosperari in liberis, si adfuerit uxor

Item

Item si succedere cupimus empturi aliquid, vel vendituri, contractus: si honoris, aut commodi speramus quippiam, aut si quid est hujusmodi: totum ad eam plagã faciamus, quo signa ad prædicta respicitur. Sicut è converso, si formidamus ne malè succedat aliquid illorum, vitanda sunt signa contraria. In hunc modum judicare licebit de reliquis. Verum etiam id obiter descripsimus quando mentionem fecimus de qualitate & natura domorum.

Sic copiosè, & non minus tamen succinctè habes facierum atque aliorum signorum sive imaginum naturas. Neque video, quomodo aliquis succinctius has tradere possit: & si prolixis ambagibus hîc diu immoremur, non usque adeò magnus fructus est. Vtcunque enim ad Astrologiam promovent, non sic tamen magna sunt, ut in iis prora sit constituenda & puppis. Nesciri commodè non possunt, sed sic tamen cum moderamine discenda sunt, ne iis jam scitis, protinus Astrologum esse se quis existimet: ut ii etiam persuadent qui ejus sciētiæ principes sunt. Quamobrem de modestia commonefacio te quicunque es, qui ad eam artem videris esse propensior, ne quid hîc præcipitanter agas, neque actutum relata in medium alicujus nativitate judicium proferas. Nam multa sunt quæ fallere possunt. Nempe hominis prudentia, dispensatio Dei, fallax judicium. Verbi causa: fieri potest ut in Ariete natus aliquis vehementer iracundus sit, atque idem liberata secum vitii turpitudine, iram ipsam moderetur & supprimat, ego verò hunc judicarem iracundum, quis non hîc me rideret? Inclinent licet natura & fatum, ita tamen temperanda sententia est, ut nisi prospectis ad amussim omnibus, facilè hanc non præcipites. Si quid aliud agis scito non solum veri nihil prædicere te, sed etiam ludibrio futurum omnibus hominibus. Hæc passim inculco, quòd sciam quosdam turpissimè hîc lapsos, quod veluti securi jam sedecim pedibus, quod ajunt, figebant à scopo.

Commonitio autoris.

FINIS LIBRI III.

CANONES QUIDAM SVPER ÆGRITVDINIBVS, QVIbus modis succurrendum ægris sit ex aspectu signorum. Liber ordine quartus.

PRÆFATIO.

STVLTVM hoc medicorum vulgus, quod nostro seculo sic videmus insolescere, atque imponere nobis purpura sua, cùm sibi ab autoribus suis præceptum sciant, ut absque astrorum consilio nulli medicetur: & tam longè à medicina est, qui Astrologiæ ignarus est ut non medicus dici debeat, sed impostor. Tamen eo nunc ventum est: ut è centum vix unum aut alterum reperias qui verè sciat dijudicare, quo tempore quælibet medicina adhibenda sit. Quod fortasse mirum non est. Quid enim illis ocium esset, in Astrologia occupare se, quibus ocium non est ut Galenum suum elegant & Hippocratem, sed ex tumultu agunt omnia: ac præscriptis quibusdam receptulis? Vidimus quendam apud Moguntiacos non vulgarem, dixisses tertium Catonem, vel Galenum alterum, si quid ad artem faceret purpura. Hic cùm esset longè crassissimus duobus utebatur receptis: quæ nescio è quibus exsuxerat chartis. inerat illis ellebori 3. 8. vel tantundem scamoneæ, ad laxandam alvum. Hæc alternatim ministrabat, non habita ratione vel complexionis, vel ægritudinis: atque iis nugis tantum ad se corrasit nummorum, ut functus jam vita aureorum relinqueret post se tria millia. Summam artis in eo collocabat, ut solveret alvum. Tantum in re medica valet purpura, & caperata frons. Hos neque monebimus, neque in viam revocabimus homines crassos, & qui contemnunt etiam discere. Cæterùm aliis

aliis, qui futuri medici sunt, iis regulas præscribemus aliquot: ut missis veteribus nugis, discãt è supernis consulere ægrotis. Compertum est enim quàm sæpissimè, quod plures medici cum maximis ac potentissimis pharmacis non potuerunt, id simplici herbula perfecisse Astrologum, observato signorum accessu & recessu. Totum hoc, quicquid est, in Canones partiti sumus.

CANONES.

CANON primus. Quatuor signa sunt quæ interiora respiciunt hominis. medici hæc spiritualia vocant membra. Ea sunt Cancer, Leo, Virgo, Libra. Ex iis autem Cancer hepar, pulmonem, & præcordia respicit. Leo stomachum & ejus orificium. Virgo ima stomachi, ventrem, diphragma & intestina. Libra lumbos, inferiora ventris, umbilicum.

Canon secundus. Cancer qui respicit pulmonem, ex ægritudinibus facit tussim, ptisim, pleurisim. Leo apostemata, icteritiam, febres, pestilentiam. Virgo tumorem ventris, hydropisim, lienteriam, colicam. Libra dissenteriam, dolorem ventris: & circa spinam dorsi. Idque si prædicta signa in eas inciderint domos quæ natura malæ sunt. Sunt autem hæ. Sexta, octava & duodecima ab ascendente vel horoscopo.

Canon tertius. Natus in Tauro ut plurimum veneno succumbit, maleficio, vel colica passione. Idque in annis fatalibus, scilicet, sexto, octavo, decimooctavo, vigesimo, trigesimosecũdo, quadragesimoquarto, juxta revolutionem anni duodecimi ab octavo nativitatis supputando. Cæterùm quoniam guttur respicit Taurus, hunc etiam ad squinantiam referunt, apostemata omnia, vel ulcera quæ in gutture contingunt: quod ubi bene resciverit medicus, videat ne quid inconsulto, vel indiscretè exhibeat. Est enim hoc canonicum pene, ut peregrante signum aliquod Sole, vel potius Luna, quod signum membrum respicit, quod tunc languet in ea revolutione, me-

dicina ad hoc membrum non adhibeatur: aut sic adhibeatur, non ut sanet, sed ut foveat, ne in hoc pejorem in statum recidat, donec evolatus ex hoc signo fuerit Sol.

Canon quartus. Quibus stranguria molesta frequenter est, vel calculus. hi communiter nati sunt Sole in Ariete, vel Geminis, talemque ægritudinem sortiuntur.

Canon quintus. Qui Pisces habuerint in exortu nativitatis, vel in piscibus nati sunt, iis timendæ infirmitates calidæ: ut puta febres calentes, torsiones ventris, venena propter libram dominũ ejus in octava domo. Imminebunt tales ægritudines, partim ab scortis vel malis mulieribus, vel aliunde, maxime in annis 44. 56. 68. quibus non longè etiã erit ab extremo die. Hæc multa sollicitudine obseruare oportebit diligentẽ medicum. Sunt & anni Scalares & climacterici: unde & septimus quisque annus judiciarius etiam est. Tu igitur si vitã producere velis ad senectutem, quoties septimo vel novenno cuilibet propinquas anno, si Marsilio Ficino, vel Firmico credis, consule diligenter Astrologũ, unde immineat tibi discrimen ediscito, deinde vel addito medicũ, vel prudentiam & temperantiam accersito: sic obitum etiam naturalem differri posse, cùm Astrologiæ machinis, tum præsidiis medicorum. Neque te pigeat perquirere ab expertis medicis, quæ naturaliter tua sit dieta, & ab Astrologis, quæ stella vitæ faveat, & eam ad Lunam compone. Idem, in principio ægritudinis respicias solem in die, vel Lunam in nocte. Si impediti fuerint maxima cura habenda est super ægroto. Idem timetur in ægritudinibus, cùm Luna, & dominus ascendentis fuerint in octava, quæ mortis dicitur, impediti. Nam hìc desperandum erit, nisi diligentia experti medici notetur. Hæc & multa alia sollicitudine obseruare oportebit diligentem & solertem medicum.

Anni scalares & Climacterici.

Canon sextus. Nato in Capricorno infirmitates parit leo in octava, videlicet torsiones stomachi, pleurisim, tussim, & hepatis incensionẽ, apostemata stomachi. Quod si in Iulio accidant hæ infirmitates, id est, quando in Leone versatur Sol & Luna, malum ipsum conduplicat. Porrò in curatione hìc evitandi sunt dies Mercurii, propter Gemi-

nos in sexta: dies solis, propter Leonem in octava: dies Iovis, propter Sagittarium in duodecima domibus.

Canon septimus. Pneuripimoniam facit Cancer, Sole existente in Sagittario, similiter & ethicã, & inflationem pulmonis. Et si Saturnus in Sagittario repertus fuerit, pedum inflationes, podagram. Saturnus in Cancro, dolorem mentulæ & genitalium, ac testiculorum.

Canon octavus. Scorpius chyragram, sciaticam, & dolorem capitis aliquando facit. Si Saturnus in eodem, in cavillis cruciatum. Præstabitur igitur dieta talis. Non abluant capita diebus Martis: neque balneis utantur calidis Sole in Ariete existente, ne incidant cephaliã: quòd tum capitale periculum imminet, nempe phrenesis, vel maniæ. Et quia semper dies, menses, & anni mali obseruandi sunt, his potissimùm à calidis temperent. Ad subventionem hypochondriorum dies auspicati sunt Iovis, Lunæ, & Solis. Infelices Martis, & Mercurii. Respicit autem verenda Scorpius, neque illis ergo medicandum est Sole existente in Scorpione.

Canon nonus. Qui in Virgine habent horoscopum, aut in virgine nati sunt, frequenter naturalem infirmitatem habent crurium, aut pure repletos pedes, aut crura saniam profluentia, seu genas, vomicis obsitas, vel maxillas. Similiter & vehementes capitis dolores, humoribus ex pedibus exhalantibus ad caput: qui tamen mox sedantur, inciso tumore, & hoc plus Saturno in Virgine nativitatis tempore. Id si diligenter obserues, videbis naturalem esse ægritudinem, & plærumq; inevitabilem, & propterea naturali signorum obseruatione depellenda est. Arcendi igitur hujusmodi à balneis sunt, sive aqueis, sive sudatoriis. Quod si omnino vitari non potest, ipsi tamen dies vitentur Saturni, & Martis, & prædicti Menses & anni mali, fortius tunc, quà alio tempore sua effutientibus venena. Temperent etiam à fructibus autumnalibus.

Canon decimus. In Leone natis, infausti dies sunt Saturni & Iovis: quod in dieta obseruandum est. Obsunt omnia acuta

acuta & piperata illis. Insuper & nullæ propinandæ potiones sunt. Vbi verò ex leone venerit Sol ad Capricornum, vel ad Pisces, rursum vitandi sunt saliti pisces, & diminutio sanguinis.

Canon undecimus. Sole in Ariete existente, ægrotare si cœperit quis, atq; medicus fueris adhibitus (solet hîc in primis gignere capitis dolores, & scotomiã) vide ne balnea adhibeas calentia, vel æstuaria calida, propter Martem, & multo amplius in Octobre cum Scorpium possederit Sol. Neque in dieta carnes adhibebis motunum, arietum, & agnorum. Sed neque caput alui permittes die Martis, & Mercurii, quod Mercurius sit dominus domus sextæ, id est, Virginis, & Mars occultè cùm ibi gaudeat & Scorpius in octava: tunc ægritudinem promovent, non solùm quia infirmitatis mansio est sexta, sed quia Virgo etiam est signum frigidum, siccum, terreum, & melancholicum. Spes tamen est, quia non decedet ægrotus. Et si Scorpius, ut jam dictũ est, occupaverit octavam, id est, mortis: & quia Mars est dominus ejusdem signi, nihil efficit: quia nullus Planeta malus nocet in domo propria: maximè verò ne gladio pereat qui hujusmodi est. Post convalescentiam præcipiendũ est ægroto, ne Sole existente in Piscibus, quæ duodecima est ab horoscopo, itineri se committat: neque negotium sibi faciat cum notariis, scribis, sculptoribus, aurifabris. Item ab virginibus & equis temperet. Sunt enim hæc omnia à quibus infirmitas expectatur, propter domum sextam, quæ est infirmitatis, maximè in Augusto, Sole Virginem peragrante.

Anni hebdomatici.

Canon duodecimus. Summopere etiam observandus est annorum ordo ipsius ægroti. Semper enim septenarius & novenarius annorum numerus exitialis est. & vocantur ab Astrologis, ut præscriptum est, ii anni Hebdomatici, Enneatici, vel Climacterici, quod Latinè potest dici Scalares. Horum ratio hæc est, quòd semper iis annis magna fit mutatio corporis. Saturnus enim, cùm aliis annis remotus à nobis sit, tunc Lunæ copulatur Planetarum

rum infimo. Respiciendus in annorum revolutione igitur hujusmodi planetarum aspectus, utrum discrimen immineat, an maliciam suam exercere possit Saturnus & Mars, qui & novenum respicit annum, an quosdam alios habeant bene propitios sibi. Sic fiet, ut non solùm ipsam ægritudinem, sed futuram etiam mortem fatalem Astrologiæ machinamentis depellas.

Canon decimustertius. Semper perquirenda est dieta ægroti. Deinde horoscopus nativitatis. Postremò erigenda figura. Ex figura prospiciendus status Planetarum, ex statu & collatione eorundẽ in domibus effectus. item infirmitatis causa, & genituræ dominus: atque sic ex oppositis qualitatibus signorum depellenda ægritudo. Id paulo pòst exemplis demonstrabimus.

Canon decimusquartus. Ex diebus etiam observandus septimus, & crisis, & exinde vitâ vel mors divinanda. Verùm Critici dies qui sint, ex medicorum schola petendum ducimus. Exempla ipsa quoniam magis eruditũt, typum unum subjecimus. Contingat forte fortuna, quod in exordio ægritudinis Luna versetur in Ariete, quod calidum signum est, & siccum futurum est, ut pro signi sui natura succendat ægritudinem Aries. Hîc ægrotum monere potes, ut patiens sit, remissius hunc habiturũ in die septima: qua in Cancrum demigrabit Luna. Nisi ægritudo sit furiosa. Porrò cancer frigidus est & humidus, & quartus adspectus ad Arietem: temperabit igitur infirmitatem gelu suo & humore. Id si diligenter attenderis, notanter deprehendes, atque sic etiam operari potes in reliquis signis, quomodo confortantur ex similibus signis ægritudines, & ex contrariis curantur.

Canon decimusquintus. Ita secundus dierum numerus, id est, dies decimusquartus certum judicium facit: quòd tunc plena est Luna, non tam propter crisim, quàm Lunæ etiam influentiam, quæ hîc est opposita, quemadmodum Aries & Libra, Taurus & Scorpio.

Medicinarum administratio.

Canon decimussextus. Habent & sua signa medicinæ ipsæ. Neque enim indifferenter quolibet tempore quæq; mini-

miniſtranda ſunt, ſed alia gargariſmatum, alia ſuffumigiorum, alia potionum tempora ſunt, & ne prolixior ſim, ſingula in unum canonem comprehendam Luna ſi fuerit in Ariete, Leone, & Sagittario, corroborare licebit quæ in homine eſt virtutem attrahendi, recentivam in Virgine & Tauro, digeſtivam verò in Geminis, Libra, & Capricorno Gargariſmata, vomitiva, ſuffumigia miniſtranda ſunt Luna exiſtente in Ariete: & fortaſſe etiam in Tauro gargariſmata tantum. Et ſolutiva in Scorpione per potionem, per electuarium in Cancro, per pillulas (ſi placet) in Piſcibus. In Geminis & Aquario triſera, ac medicina confortativa. In Libra etiam vel Scorpione enemata, ſive cliſteria.

Canon decimusoctavus. In purgationibus etiam Lunæ reſpectus eſt habendus & aſpectus illius. Eadem enim exiſtente in Cancro, & habente aſpectum trinum vel ſextilem cum Venere, licebit purgare Choleram. Cum Sole phlegma, & cum Ioye Melancholiam, atq; hoc ſi vel bolos adminiſtraveris, vel pillulas. Si autem per potionem volueris purgare, eisdem utere aſpectibus in Scorpione. Idem fac in Piſcibus per pillulas. Et ſi duæ planetæ eodem tempore iis aſpectibus fuerint cum Luna, poterunt propinari duæ purgationes. Exempli cauſa. Si Luna cum Venere & Sole per trinum vel ſextilem fuerit, ſimul cholera, etiam phlegma repurgari poterit.

Cholerici infirmitates.

Canon decimusnonus. Quibus Mars in radice nativitatis in Ariete, vel ejus triplicitate eſt, cholerici ſunt: his ut plurimũ febres imminent calidæ, ex abundantia choleræ, phreneſis, puſtulæ ſanguineæ, impetigo, antrax, & quæ carnem abſorbent ac glutiunt, ſacer ignis. Quæ ſi vitari prorſus non poſſunt, ſanè adhibenda medico ſive chirurgico cura eſt, ut per regulas, quas dixi de ſignorum qualitatibus, abigat ægritudinem.

Mercurialium.

Canon vigeſimus. Par ratio eorum qui Mercurium habent perperam locatum in domo Martis: id ubi deprehenderis in nativitate, elicies inde febres calidas, vomicas, ſanguineas, cancrum, morbum regium, ignem ſacrum,

crum, caliginem oculorum præmaturam, præterea cogitationes, & conturbationes horrendas: niſi Lunæ acceſſerit temperamentum, vel venereis in dictis ſignis vel locis, idque in cholericis.

Phlegmaticorum.

Canon vigeſimus ſecundus. Phlegmaticorum aliæ infirmitates ſunt. His accidunt frequenter febres, quas vocant quotidianas, plurimum moleſtantur frigore. Quod ipſum ex urina perſpicitur: quæ ſi ſpiſſa ac cruda frequẽter eſt, iis indicendum exercitium eſt: utque caveant à carnibus pinguibus & porcinis, ſervent ſe à caſeo, à lacte, medulla & cerebro animalium.

Melancholicorum.

Canon vigeſimus tertius. Saturnus ex ægritudinibus facit cum Luna epileſipam atram bilem, lepram, fiſtulam, morpheam, podagram, & frequenter paſſiones cronicas. Quæ ubi acciderint, tractim ac remiſsè agendum eſt, nec in hujusmodi reluctari aſtris debes, niſi talis medicina ſit, quæ omnibus viribus nitatur expellere ægritudinem, atque hanc radicitus evellat. Item ſi quis naſcitur in conjunctione Solis & Lunæ, ſemper illa nativitas cenſetur mala. nam facit periculoſos in ſenio, ſpaticos, valetudinarios, caducos, aut mentis inſaniam, & tales ægritudines, quæ à medicis difficulter curari poſſunt.

Canon vigeſimus quartus. Licebit ex curſu Solis divinari ægritudinẽ, ſi menſem attendamus in quo natus eſt quis. Verbi cauſa. Natus eſt aliquis in Scorpione, imminebit illi ægritudo ſcapularum, Chiragra, manuum ſeu digitorũ contractio. Si mulier ſit, dolor ſplenis & ſtomachi. His qui in cancro nati ſunt, impetigo, ulcera, puſtulæ: maximè etiam ſi aſcendentem habeant cancrum. Fœminis tormina inteſtinorum, & pericula ex aquis. Habentibus Taurũ, infirmitates circa guttur, plæraq; etiam alia corporis tormenta: & hoc præcipuè in annis & menſibus præſcriptis malis. Sic Leonẽ habentibus, ſtomachi dolores. Et aquariũ quos interdum febres divexabũt diuturnæ, id quod etiam in præcedentibus obiter tetigimus.

Canon vigeſimusquintus. Illud etiam præcipuum eſt, non tam ægroto conferens, quam Medico, videlicet: Si

ægro-

ægrotus in septima habet Saturnum, vel Martem: convenit hî: prorsus neque medicum adhibere, neque medicinam: & si etiam infelix sit dominus ejus domus. Sic placitum est Galeno. Item si Saturnicus sit, vel Martialis medicus ipse, qualis tandem ægrotus sit: compertũ est hujusmodi in perniciem esse natos humani generis. Impossibile enim est, ut unquam sanent, vel prosperè agant aliquid hisi in prophanis & rusticis fortasse hominibus. Talem novimus virum sanè doctum, & apud Principes celeberrimum: quantũ ad artem quidem spectabat nihil illi deerat: verùm sacerdotibus nobilibus, principibus ecclesiasticis adhibitus, nihil unquam probè egit, semper arte sua frustrabatur, ac magnam eorum partem peremit. apud prophanos verò nullum illi negotium erat. Vides igitur quid in his atque aliis valeant astra. Id ausim polliceri: si quis Martem habeat cum Venere in sexta, hunc futurum medicum præstantissimum, neque se alio artificio occupare debet hujusmodi. Possem ejus rei etiam testes citare tibi viros graves & medicos, quibus quidem proclive est sanare, & citra omnem operam: quibusdam tam grave, ut vix omnibus conatibus aliquid possint, quorum nomina ideo subticemus: ne cuiquam obtrectari videamur. Hæc dicta summatim sint, non quò hîc singulatim exponamus omnia. Quis hoc tam brevibus posset? Sed quò ansam præbeamus medicis, ut perspecta utilitate Astrologiæ, hanc incipiant ambabus, quod ajunt manibus complecti, & nonsolum è præscriptis hominum præceptiunculis discant opem languentibus ferre, sed suo ipsorum ingenio dispensare sciant quæque absque etiam medicina. Non omnes tales ægroti sunt, qui perferre pharmaca possunt. Plærique dieta, plærique observatione signorum adduci possunt eo ut revalescant. Rideant nos qui velint, maximè ἀμαθοπαθεῖς illi, nos sanè sincero animo hæc scripsimus, exhibituri propediem majora. Sic placitum erat primo exponere generalia, postmodum ea ex quibus summa rei propendet.

Nati medici.

EPI-

EPITOME, QVID QVISQVE PLANETArum in naturis & hominum qualitatibus agat.

HActenus ex membrorum dispositionibus conati sumus venari hominum ingenia, nunc penitius rem ipsam scrutantes, ad Planetas divertimus, ut si quid fortè in antecedentibus vel prætermissum est, vel frigidè & oscitanter dictum, id liquere possit ex cõsideratione planetarum. Sicubi tam varium est (ut inquit propheta) humanum cor, atque plæraque inscrutabile, quanto magis nervis omnibus conandum, omnis tentanda via est, ut pervium fiat tandem, simulatque scrutari possit. Addit ad conatum aliquid, dum alia atq; alia via tentatur, id quod in manibus est: si enim unum non successerit, alterum sanè vix potest non evenire. Sic quod Physiognomiâ non quivimus, id pro viribus præstabimus in Astrologia naturali, atque id succinctissimè. Neque me clam est, quod & ab aliis hæc tractata dudum, & fusius dicta sunt. Sed quod illi prolixis ambagibus, id nos per compendium absolvimus. Aequa autem laus est, primum rei alicujus esse autorem, atque sic tradere inventum, ut ab pluribus succinctè possit, & per compendium intelligi. Et ne verbosior sim, dum vitare volo multiloquium, precium operæ est, cujusnam naturæ sit quilibet planeta explicare. Sol natura sua calidus. Luna minus calida, sed humectior. Saturnus frigidus & siccus. Iupiter calidus & humidus.

Natura Planetarum.

Mars calidus & siccus. Mercurius anceps est. Et ne quid hîc immoremur diu. Mars semper calidus quidem, interdum minus, interdum acrius, alioqui tamen semper siccus. Id quod proclive est cernere in circulo augis in signo humido, &c. tunc enim solus humidus est, juxta quod vel plura habuerit testimonia humectationis. In qualitatibus verò activis vigoratur, cùm fuerit ascendens in circulo augis, Iupiter & Venus temperatè calefaciunt & humectant:

mectant: Venus tamen cum temperata frigiditate. Sin autem fuerint ascendentes, roboratur temperamentum caloris utriusque naturalis vicissim: si descendentes sint, humiditas eorum vigoratur naturalis. Idem de Sole. De Mercurio secus sentiendum. hic cùm neq; siccus admodũ sit, neque multum etiam gelidus, ascendens tamẽ calidior efficitur, & gravitate & siccitate siccus. E diverso descendens, humidior, pauco permixtus frigore: alioqui tamen plus omnibus aliis mobilior, juxta naturam signi, & loci in quo est. Iam si judicium ferre volueris, planetam ipsum spectà dominum nativitatis. Verbi causa. Demus Solem esse in Leone tempore nativitatis Petri: ubi nulli refragari licebit, quoniam futurus calidus sit Petrus: & aliquantisper siccus, atque ideò prudentem, sapientem, honestum, superbum facit, gloriam & imperium communiter consequentem. Et cæterorum planetarum dominus est Sol, & in medio locatus tanquam rex eorum. Aliud. Sit Lunaticus quispiam. Luna humida est, modicum calefacit, erit igitur natus ille hujuscemodi obnoxius, epilepsiæ, morbo caduco. Ita si Saturno fuerit subjectus aliquis, hic infrigidat: simul atque exsiccat: facit ob hoc contemptibilem, cogitabundum, tristem, dejectum, solitarium, timidum, suspicionosum, invidum, & infœcundum. Iupiter, quia temperatè calefacit, & humectat: largitur itaque prudentiam, concordiam, religionem, honestatem, benignitatem. Mars simul & exsiccans & comburens, succendit choleram, furorem, præbet audaciam, robur, superbiam, importunitatem, insolentiam. Venus quia parum calefaciens, sed plus æquo humectans, efficit pororem, ociosum, venereum, mansuetum, lusorem, &c. Solus Mercurius, ut diximus, uti Vertumnus quispiam, nunc siccus, nunc humidus & frigidus, instabilia operatur, atque ideò interdum pessima. Porrò dominum ipsum nativitatis, qualitercunque hunc deprehendere oporteat, in sequentibus trademus. Hæc ut non commentarios scribamus, sed rudimenta, per compendium dicta sufficiant.

Iudicium quomodo ferendum.

*

FINIS LIBRI IV.

IN ASTROLOGIAM NATURALEM JOANNIS DE INDAGINE,

*

PRÆFATIO.

TEMERARIUS fortasse videri possem, si id conarer ego quod ante me pauci fecerunt in discutienda Astrologia naturali. Video enim omnes aliò deflexisse animum, ad theoricem videlicet, quòd civilior paulo illa sit: paucos qui naturam, ac temporum mutationes sequuti, naturalibus vestigiis incesserunt. Iulius enim Firmicus cùm in hac, atque artificiali arte adeò primus, & post se reliquerit neminem præstantiorem, non tam obiter tractavit, quàm etiam data opera dissimulavit: fortasse quòd non adeò multi negotii sit, naturalem Astrologum evadere, maxima verò laus præstare in artificiali. Cùm revera (pace dixerim doctissimi viri) major naturali laus debeatur, quàm artificiali, partim quòd fidelior est, & superstitiosa minus? partim quòd non adeò facilè imponere potest nobis. Nam quid attinet curiosa sectari, quando vix ea quæ in prospectu sunt pervestigare possumus, etiam quæ nullis neque principiis firmantur, neque certum est, vera ne sint, an ficta? Cujusmodi esse videtur artificialis, non usque adeò pervia humano judicio. At naturalis, tametsi à quibusdam temerariè abnegatur, tamen experientia eò provehit: ut non possit non mentis inops esse, qui hanc frustraneam esse dixerit: de qua constat, quòd multò præclariora per eam agnita sunt, quàm per artificialem. Ejus rei testem unùm citamus Ioannem Liechtemberg, hominem neque Ptolemæo inferiorem. Hunc enim quis non est vehementer admiratus? cui ille non fuit suspiciendus? ut etiam à quibusdam vates habitus est. At is palam mihi concessit, Astrologiæ naturali

Iulius Firmicus.

Astrologia naturalis præstantior.

debere omnia se, artificiali verò nihil unquam tribuisse: adjutus nimirum etiam Physiognomia, & Chyromantia. Non quod inde suggillare Firmicum velim, aut cæteros ejus artis summates, Albumasarem, Aboali, Abraham, Dorotheum, & qui tandem illi sunt: sed quòd artificiali hanc meam longè præfero, quantum præstant ea quæ à natura sunt iis quæ sunt ab artificio. Et quamvis multis suspectum sit hoc nomen, atque præterea etiam damnatum à Romanis pontificibus (qui nihil probare solent quod quæstum illorum diminuere solet) tamē nihil est aliud, quam naturalis philosophiæ absoluta consummatio. Quid enim aliud videtur tibi agere Astrologus, dum futura prædicit, quam quod quæ secretiora sunt naturæ, ac soli Deo nota, hominibus insinuat, per propheticam Dei voluntatem, & consilium nobis insinuans. Vt Mosen illum, & Abrahamum Astrologos fuisse ferunt Iosephus, Eusebius, Dicearchus, Theodorus, & cæteri autores Græci; quos contra Appionem Grammaticum citat Iosephus. Quanquam quid hos necesse est citare? cùm palam id fateatur scriptura. Sic enim de Mose Stephanus inquit. Et eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in factis & in dictis. Præterea Ioseph patriarcha, audi quid de se ipso dicat ad fratres suos. An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia: Quid iis testimoniis clarius? Cesso interim Origenem adferre, autorem Christianissimum, qui cisternas effossas ab Isaac, philosophiam extitisse ait: sic à studioso patriarcha erutam atque professam. Non ideo tamē illam extruimus, quam leges omnes, omnes respublicæ damnarunt: neque sanctos homines ei vacasse credendum est, sed illam quæ ex certis principiis constat, quam omnes sapientes, omnes cœlestium rerum studiosi approbant & sectentur, altiorem, sanctioremque omni Philosophia, nempe Philosophiæ apicem & scopum. Alioqui quorsum spectaret tam curiosè syderum & cœlorum motus perquirere per Philosophiam, si nihil omninò est quod per suum motum efficiunt astra? Quid tamen motiones illæ proderunt, quando pro maximo firma-

Astrologi officium.

Act. 7.

Gen. 44.

firmamento id ratum habent, nihil agere naturam frustra? Quid quod in crescentiis, in graminibus herbescentibus, in fluxu & refluxu maris, in vernantibus temporibus, in quibus verò ab initio influxu syderum nova creantur omnia? Id negare omnino non possunt. Quod ergo rebus omnibus tribuunt, solis humanis corporibus non tribuent, cùm æquè ex elementis sint ut nihil aliorum? Quid hoc est portenti? Dicamus & aliud: ne hanc nostram cum prohibita existimet convenire aliquis. Superstitiosam illam, nemo unquam palam professus est, quòd in autoris vergeret ignominiam: istam professi sunt optimi viri, idque maxima cum laude. Prohibitæ nullam dedisse fidem Pythagoram, earum artium ferè antesignanum, autor est Diogenes Laertius in illius vita, & idem Plutarchus. Ridetur eadem à Seneca, explodituir à Cicerone, neglecta est ab Aristotele, Platone. Videbatur enim indigna, de qua unquam facerent vel verbum quidem. In summa, ut nullis probatur rationibus, ita nec certis firmatur autoribus. Nostra hæc, à clarissimis viris inventa & illustrata, hos præcipuè habuit autores, Xalmolsidem, Zoroasten (non qui fortè creditur, sed hunc Soromasti filium) Damigeronta, Apollonium, Hostanem, Dardanum, Eudoxum, Alchindum, Rogerium, qui iidem & Magiæ fuerunt autores. Ex nostris autem Liechtenbergium naturæ miraculum altissimis plena mysteriis, profundissimam rerum sacratissimarum contemplationem, & donum totius naturæ complectitur: & non tam facit miranda, quam facienti naturæ sedulò subsamulatur. Et quemadmodum prohibita Dei hostibus mancipans, avocat à Deo, ita illa in eam operum admirationem excitat: & quemadmodum agricula ulmos vitibus, ita terram cœlo, id est, inferiora superioribus virtutibus maritat. Neque enim ad cultum Dei quicquam promovet magis, quàm assidua contemplatio mirabilium Dei. Verum quoniam in hujuscemodi narrationibus nonnihil etiam movent doctissimorum virorum actuaria, illud παρέργως monemus etiam, Marsilii Ficini, hominis citra contentionem

Astrologia artificialis superstitiosa.

Autores Astrologiæ naturalis.

Marsilius Ficinus.

graviſſimi, tertium librum legat de vita cœlitus comparanda, intelliget proculdubio, ne minimam adhuc partem dixiſſe nos ejus ſcientiæ, modis omnibus diviniſſimæ. Sed neque dici poſſe, ut nunquam ſatis commendantur quæ divina ſunt. Idcirco autem tam obiter hæc præfamur: propter eos, qui ſemper ignota damnant: proclamantes ſtatim hæreticum eſſe quicquid ipſi vel non intelligunt, vel damnatum vident ab indoctiſſimis ſophiſtis. Quaſi ideo mala vel hæretica ſit Aſtrologia, quod hanc calumniatus eſt Thomas Aquinas, homo nusquam ſibi conſtans. Sed clamitent interim illi, atque hallucinentur multa: nos quod polliciti ſumus, præſtabimus. Si prius id fuerimus præfati, viam tantummodo nos monituros: quæ ſic tamen aperta erit, ut qui hanc ingreſſus ſit ſemel, huic promptum ſit ex iis parvis magna, ex minimis iis cognoſcere maxima. Ne quid igitur agamus obſcurius, & quo minus imponamus iis qui in ea arte adhuc rudes ſunt, quando tam crebra de domibus mentio fit, de ſignis, de horoſcopo, de aſcendente, de dominis genituræ vel ſignorum, ſuccinctè quid unum quodque illorum, diffiniemus ex Iulio Firmico.

Thomas Aquinas.

NATU-

NATVRALIS ASTROLOGIAE COMPENDIOSA DESCRIPTIO, PER IOANNEM DE INDAGINE SACERDOTEM, NUSQUAM ANTEÀ SIMILI TRACTATA COMPENDIO. LIBER ORDINE QUINTUS.

IN primis autem hoc refellere oportebit de Planetis, ſi quis forte homo mathematicus calumniari velit, quòd præter Solem & Lunam reliquis Planetis non tantum tribuimus, atque ſummam rei in iis collocamus tantum duobus. Sciat tantum ineſſe iis virium, quantum reliquis omnibus deberiq; interdiu Soli regnum, noctu verò Lunæ, neque opus eſt quemquam reſpicere cæterorum, atque ea differentia eſt, qua ab ſe invicem diſtant Naturalis & Artificialis Aſtrologia. Quod enim ſpeciatim atque ſeorſum de ſingulis Planetis, de obſervatione horoſcoporum decernit artificialis, id naturalis efficit una tantum obſervantia motus Solis & Lunæ. Alioqui tamen adeò affines invicem ſibi, ut neutra ſine altera addiſci rite poſſit. Non male locabit operam, qui utranque conjunxerit, non tam propter ſcientiam quàm etiam voluptatem. habet enim neſcio quid amplius leporis naturalis quàm artificialis, tametſi præſtantior videatur altera. Porro Domus quid ſit audiamus.

Quid ſit Aſt. Nat.

Quid ſit domus.

Domus quid.

DOMUS, eſt firmamenti ſpacium quoddam, gradibus emenſum certis, per quod planetæ moventur. Sic per metaphoram dicta, ut enim in domo manſio eſt, ita Planetæ ſua in cœlo, ſcilicet firmamento, loca habent, per quæ moventur, & in quibus reſident. Ea vocant deſcriptionem ſignorum per gradus 30. nam quælibet domus vel ſignum triginta gradus habet.

De numero domorum.



Nomina domorum.

SUNT autē domus duodecim, quas vulgaribus rhythmis memoraverunt Astrologi hactenus. Neque nos admodum erubescimus adscribere, quod videntur memoriam juvare nonnihil. Sunt 11. Natus, vincit, fratrem, pater, filium, Infirmus, uxorem, mors, ambulat, regnat, fortuna, incarcerat. Horum interpretatio hæc est.

Prima domus, est domus vitæ, hebraicè dicta Beth chaî Græcè Τοῦ βιοῦ.

Secunda succedens, facultatum, vel substantiæ, Græcè ἀναφορά, ab aliis dicta, ob loci importunitatem, porta inferni.

Tertia cadens, θέα, mansio fratrum.

Quarta profundum cœli, angulus terræ, domus parentum.

Quinta succedens gaudium Veneris. Græcè ἀγαθή, domus filiorum.

Sexta cadens, adversæ fortunæ, servorum, infirmitatis, gaudium Martis.

Septima

Septima respondens ex diametro primo κλίσις, nuptiarum, inimicorum apertorum.

Octava succedens, mortis.


Nona cadens, θεός, religionis, vel itinerum magnorum, Gaudium Solis.

Decima medium cœli, regnorum sive Magisterii.

Vndecima succedens, fortunæ majoris, Gaudium Iovis.

Duodecima carceris, Gaudium Saturni. Græcè κακοδαίμων.

Sequitur de Cardinibus cœli.



Ex his duodecim quædam Cardines cœli vocantur, Prima, Decima, Septima, & Quarta. Primus angulus Orientis, ea est Domus Arietis, natalitii horoscopus. Secundus medium cœli occupat, domus Capricorni. Tertius occu-

De Cardinibus cœli.

occubitus, vel angulus Occidentis per diametrum ♎ Quartus, ab Firmico Imum cœli vocatur. In iis ferè totum judicium pendet, sunt que principales anguli, & Planetæ majorem in iis quàm in aliis efficaciam habent.

De exordio nativitatis sumendo.

Superstitiosum existimo, de exordio nativitatis multa inutiliter cavillari, cùm magis ad artificialem hoc spectat Astrologiam, videlicet de casu spermatis in matricem, de horoscopo nativitatis, &c. alterius, ut prætactum, speculationis est. Nos quidem ad Solem, & ad signum in quo est Sol die nativitatis, intentionem dirigimus. Nam tot insunt Soli virtutes, quot omnium stellarum. Pto. teste. Et quæ jam ipsa natura & longæva experientia comperta nobis sunt, ea faciemus palam, ad superstitiosa quæque conniventes.

Solis virtutes.

De effectibus Planetarum.

Id tractare convenit in primis, de Planetarum naturis & effectibus, quid in unaquaque domo efficiant. Quod tametsi in Octocedronte nostro fecerimus, non pudet tamen & secundo hîc adscribere obiter.

Si quis nascitur decima, vel undecima die Martii, ubi communiter Sol intrat Arietem, duratque per tres decanos vel facies in jam dicto signo. Sic usque ad decimum vel undecimum diem Aprilis, Mars repertus in die nativitatis, cùm natura igneus sit, Aries similiter, augmentat calorem & iracundiam, cæterasque omnino pravas affectiones magis quàm si in aquatico vel terreo signo fuerit.

Natura Planetarum.

Saturnus ubi, & præcipuè in sexta, octava, vel duodecima, ærumnarum, miseriarum, laborum & ægritudinum autor est.

Venus temperata, amantem facit mulierum, ludorum, cantorum, conviviorum, & alia ad lætitiam pertinentia.

Mercurius sapientiæ & eloquentiæ dator legum, rhetoricæ, operum subtilium, mercantiarum & hujusmodi.

Luna amentiam gignit, instabilitatem, humiditatem, ignaviam.

Iupiter

Iupiter in angulis pulchritudinis, divitiarum, honorum, administrationum autor est.

Sol in ascendente, vel angulis, magnum, honoratum, & inter principes nominatum reddit.

Signa quoque pulchritudinis sunt Gemini, Libra, Virgo, & prima pars Sagittarii.

Mediocris pulchritudinis Scorpius, Capricornus, & Pisces.

Sterilia Gemini, Leo, Virgo.

Facientia defectionem & inopiam liberorum Aries, Taurus, Libra, Sagittarius, Capricornus, Aquarius.

Media & sine voce, Cancer, Scorpio, Pisces.

Rationabilia, Virgo, Libra, Aquarius, & Gemini.

Qualitates Signorum existimo notas esse.

CALIDA, sicca, ignea: Aries, Leo, Sagittarius.

Frigida, sicca, terrea, melancholica: Taurus, Virgo, Capricornus.

Frigida, humida, & aquosa: Cancer, Scorpius, Pisces.

Calida, humida, aerea: Gemini, Libra, & Aquarius.

Et sic tria semper signa in una natura conveniunt, & triplicitatem faciunt.

Habent quoque planetæ potestates quasdam in propriis domiciliis.

Aries & Scorpius domus Martis sunt.

Taurus & Libra Veneris.

Gemini & Virgo Mercurii.

Sagittarius & Pisces Iovis.

Capricornus & Aquarius Saturni sunt.

Sol unum domicilium occupat, Leonem scilicet.

Luna Cancrum possidet.

Habent etiam signa suas proprias significationes in humanis corporibus ex creatione membrorum.

Aries habet ex corpore hominis, caput & faciem.

Taurus, collum, & gutturis nodum.

Gemini, humeros, brachia ac manus.

Cancer, pectus, cor, stomachum, costas, splenem, pulmonem.

Leo,

Leo, inferiorem partem stomachi, dorsum & latera.
Virgo, ventrem, diaphragma & intestina.
Libra, lumbos, & inferiora ventris, umbilicum, &c.
Scorpius, verenda, testiculos, vesicam & femora.
Sagittarius, nates, & succedentia.
Capricornus, genua.
Aquarius crura.
Pisces verò pedes & talos, quos cavillas dicimus.

De Sole & Luna quædam notatu digna.

Sol & Luna nullius nativitatis domini.

ID verò ne cuiquam imponat prætereundum, consilii non est, de Sole & Luna, qui licet Planetarum principes sint, nullius tamen nativitatis dominia sortiuntur. Verbi causa. Si Luna in Geminis sit tempore quo puer nascitur, vel etiam in Cancro, quæ est domus sua, non illic dominium sortitur, sed Planeta domus sequentis in dominium computatur. Sic si Sole in Leone aliquis natus sit, tametsi Leonis dominus est Sol, hic tamen dominium amittit, derivaturque ad Mercurium patronum sequentis mansionis, id est Virginis. Virgo enim sequens post Leonem signum est, & Mercurius dominus Virginis. Item si Luna reperiatur in Virgine, tunc Venus est domina genituræ propter Libram sequentem, cujus signi Venus domina est. Non erit inutile, & hoc monere (de quo ambigi passim video) dominos vel planetas malos, veluti Saturnum & Martem, non adeò pernicioſos esse in propiis domibus, ceu jam aliorum occupantes castra. Exemplum unum proferam de primo signo, & quo simul & præcedentia fiant clariora, ponamus Solem tempore nativitatis alicujus esse in Ariete: jam antea nosti, cujusmodi sit Aries: præterea quid in iis agat, quorum horoscopum tenet. Iunge deinde etiam dominum signi, hic est Mars. Loca igitur in erectione figuræ Martem cum Ariete, feresque subinde judicium, longissimè supervicturum sic natum. Non obstante Marte, qui tametsi malus est, non usque adeo tamen maliciam diffundit suam velut in alia domo: nisi quòd pro gladio repentinas etiam ægritudines minatur, propter Scorpionem, & Martem in octava. Non enim noce-

Saturnus & Mars in propriu domibus non usq; adeò mali. Exemplum Nativitatum.

nocebit sic ad mortem ægritudo. Hæc ad superficiem dicta sint. Et idem de Saturno in Capricorno vel Aquario intelligendum esse censemus. Ne videamur omninò posthabere artificialem, quàm non inficiamur, necessariam etiam ad naturalem. Vnde quia signorum explicanda nobis vis est, id in primis faciemus de artificiali, ut si cui desit fortasse Firmicus & tabulæ, habeat autem Astrolabium planum, in quo prospecto ad horam nativitatis ascendente, possit ex minutis illis proferre judicium, posthæc ordine quodam, atque aliis verbis idem agemus negotium Astrologiæ naturalis, sed quæ vicissim adminiculabuntur etiam artificiali.

De prima domo & horoscopo in Ariete.

QUÆRIS autem, quatenus in nobis operetur in Ariete horoscopus? Primum omniū moneo, quod & antea, nihil urgere in nos astra, sed jam proclives trahere, qui sic tamen liberi sunt, ut si ducem sequantur rationem, nihil efficiant. Sin verò naturam, id agere quod in brutis ferè.

Sic editum in lucem facit juventa floridum, orbum fratribus, usque ad unum fortasse, si tamen bene cadat fortuna. Hæreditatem mutabilem, quæ parta mox dispergetur, mox dispersa reparabitur, propensum ad capitis dolores magis quàm ad alias ægritudines (respicit enim caput in primis Aries) locantem ut plurimum operam suam ingratis hominibus, atque hoc si Aries in horoscopo sit. Post horoscopum perspiciendi anguli sunt, de quibus diximus, quod signorum habeat quisque, id ratiocinari statim in proclive est ex digitulis, vel erecta figura. Exempli gratia. Primam habente Ariete, fit aliquando ut Cancer possideat ima cœli, Capricornus medium cœli, Occasum verò Libra. Nunc quid singuli cardines promittant dicendum est.

Capricornus in medio cœli, honores decernit, facultatesque, & sumptus maximos, eminentiam, arcana religionis, versutiam ingenii.

Libra



Libra in occaſu, vitam & aulicos mores: quæ vita ut à paucis probatur, eſtque inconſtans, ita & hunc dejiciet de gradu, jamque paulo ante reſidentem in capite, mox pòſt conſtituet in cauda. jam afflante hunc fortuna, & hilariter acclamante, ſtatim variis calamitatibus affliget, adeò nullam commoditatem feret ſolam ſine incommodis, atque ſine appendice jacturam, eo hunc promovebit conſodalium invidia peſſimum malum, verum totum illud damnum quicquid eſt, Cancer reſarcit in imo cœli. Figuram, qua velut in tabula perſpicias ad unguem omnia, hîc adneximus.

De ſecunda Domo & horoſcopo in Tauro.

POST Arietem ſequitur Taurus in ordine ſignorum regulariter, & locatur in figura ad ſecundam domum, quæ ut diximus, facultatum & ſubſtantiæ eſt. Si quis igitur noſſe velit, num in prima, ſecunda, vel tertia ætate locupletabitur, juxta triplices dominos & eorundem col-



collocationem judicabit: verum idipſum in poſterioribus, nunc generalia tantummodò dicemus.

Horoſcopus ſi fuerit in Tauro, ratiocinandum erit in hunc modum, videlicet fore eum hominem laboriosum, anxium, atque variis diſpunctum curis in opibus acquirendis, facilem ad divitias, & item procliven ad easdem amittendas, fortunatum, triumphatorem de ſuis hoſtibus.

Hunc acceptum Principibus facit in medio cœli Aquarius, atque actibus præſtituet, & publicis officiis, fortaſſe etiam negotiis quæ ex aquis ſunt, quod aquæ naturæ videtur eſſe deditior.

Scorpius in Occidente cordatum, officioſum, qui uxorem amittet, ſi maſculus ſit: ſin autem mulier, quæ marito & filio privabitur.

Leo in imo cœli ſi fuerit, patrimonium vendicabit: quod non obſtantibus omnibus inſidiis, & agnatorum conatibus, conſequetur.

De horoscopo Geminorum.



In his si horoscopum habeat aliquis, hunc pronuncian prosperatum iri, à parentibus, fratribus, amicis, cognatis, magnatibus habere fortunam.

Iuxta Firmicum, si medium cœli in Piscibus habean natum, victurum ex humidis & aquosis: quanquam ad tempus aliunde, non è suo alimenta illi ministrabuntur, unde & stipendium adsequetur vel principis cujusdam, vel civitatis.

Sagittarius in Occidente è converso exitium minatur illius germanis & propinquis: quo fiet ut variis solicitu dinibus distractus animo, tempore multo cruciabitur. Hinc turmatim irruentibus atque frementibus in eum ho stibus suis, inde πολεμίων malorum ingruente, quo lin quere etiam paternum solum cogatur: unde exulabit age turque profugus ut Cain, donec tandem Dei præsidio in pristinum restituatur statum.

Idem comminatur & Virgo in imo cœli. Sed tempo rum varietate & incremento, juxta conditionem incom modo

modorum, sic & in abundantiam augebit & fortunam. Figuram qui nosse velit, hîc videat.

De horoscopo in Cancro

QUANTUM ad naturalia & omnem fortunam, sic in horoscopo Cancer disponit. Hominem efficit acri subtilique ingenio, quanquam tardiuscusum paulò, suavem, placidum, quietum, iracundum, & cum stomacho insectantem malos quosque, sed cujus ira tamen citissimè placatur: fortem, moderatum, gravem: quibus donis eò promovebitur, ut publicis quibusdam officiis prælatus, ex illis & victum habeat. Dejicient illi ne, atque coacti ad blandiantur quidam, verum simulatè, & non ex animo. Saturnum habet infestum sibi, si vel eum horoscopo coeat, aut limis respectaverit saltem. Prædicit autem mortem non solum violentum, sed gravem etiam valetudinem, & necem fratrum suorum.



Quanquam pro virili obsistat illi (si adest) in medio cœli Aries: qui gratum Principibus & magnatibus viris facit, & bonarum rerum studiosum, simul & dissipantem & recuperantem patrimonium.

Eadem clementia Capricornus in Occidente notam inuret infamiæ, quam paulo post diluet post multa diffortunia, facietque restitui hunc in pristinum gradum. Addet & impetum & calcar ad pervestiganda absconsa & arcana secretorum, non sine tamen anxietate multa & labore.

Libra si in imo cœli, doloribus dolorem addens dissipat patrimonium, idque statim pòst instaurat: prostratum quoque jam publicis functionibus popularibus vel civilibus præficiens eundem, adeò ut concredantur secreta illi, & negotia maxima, quæ non nisi optimis viris dari consueverunt. Et quod superius Saturnus in horoscopo de mala morte interminabatur, id levius rursum Libra honesta morte & sepultura hunc decorabit. Et si Iupiter in sequenti signo fuerit repertus, primum facit inter omnes masculos filium.

De horoscopo in Leone.



Quibus

Quibus in Leone horoscopus est, id evenit frequenter, ut multis negotiis implicentur, & plærunque ad se non pertinentibus. Quamobrem, nomina etiam sibi pariunt immortalia, deferuntque etiam aliis nationibus se, libertatem asserunt, neque facilè jugum sustinent, omnem autem operam insumentes quò aliis præscribant leges. Marspiter si in artificiali cœli figura è regione atque ex diametro respexerit Leonem, in omnem eventum filios negat: nisi hunc demulceat Iupiter, qui fortasse unam dabit filiam.

Taurus si in medio cœlo, suspectum viris Principibus facit, ducem officiorum publicorum & antesignanum, vel dignitate quapiam alia insignitum à potentibus. Omnia scientem, in rebus omnibus felicem: præterquam in uxoribus ducendis, ex quibus rejectis formosioribus atque honestis, anum vel infamem, aut certè viduam copulabit sibi.

Occasus in Aquario, & incrementa pariter & damna largitur. Scorpius in imo cœli principem ordinabit negotiorum quorundam, & ii Taurum etiam in medio cœli habent. Quem ex adverso prospiciens Mars carcerem minatur illi & mortem in peregrinis locis.

De horoscopo in Virgine.

In Virgine si sit horoscopus, vehementissimè accendit ad luxuriam nervos, facitque natum deperire mulierculas in tantum, ut omnibus velit abuti. Cum petulantia etiam divitias subministrat & religionem: præficiet enim à responsis, à sortibus, ab oraculis magistrum, ut è numero videatur delapsus divorum, callentem omnia, nihil non explorantem, omnia percallentem, omnium habentem scientiam, omnium artificem, abundè etiam divitem, sive ex religione, sive ex literis, sive ex negotiatione.



Idem pollicentur fermè in medio cœli Gemini, si adsint, nisi quòd non tam præmaturè decernunt easdem: cæterùm in scrutandis rebus arcanis, in præstituendis præceptis vivendi aliis, ingenium impellunt.

Quod ipsum & Pisces faciunt vergentes ad occiduum: atque non eadem præsagiunt solùm, verum etiam lætiora. Nempe venustatem, largitatem, ingenuitatem, teneritudinem, favorem & clementiam apud omnes homines.

Addit iis etiam divorum gratiam Sagittarius, præterea & felicitatem, & rerum omnium copiam, filios, regnum sacrorum, agilitatem quoque ad gerenda hæc omnia. Hoc fatum ejus qui in Virgine habuerit horoscopum, in eum modum colatis etiam aliis tribus signis, ut diximus.

De horoscopo in Libra.



PORRO si in Libra horoscopus sit, causat ægritudines, pericula, hostes, lites: attamen semper post pericula triumphum decernit. Ad hæc etiam dignitates, religionem, & judicii sinceritatem, integritatemque. In nulla prorsus re infelicem facit, quàm in liberis procreandis, horum cùm aliquot jam procrearit sibi, atq; in iis omnem fiduciam suam locare cœperit, statim numerus ille deficiet, decedentque in quibus prorani videbatur collocasse & puppim.

Si quis autem scire cupiat, quibus dignitatibus præfulgere debeat, & quo in loco: pulchrè id deprehenditur ex ascensu Cancri in medio cœli. Hìc in religione vel sacrato loco ecclesiasticum mihi videtur stipendium polliceri, id est, eum ferè ex publicis habere victum. Eodem referenda existimo pecuniam, gnatos, nobilitatem, facultates, quæ in senecta contingent affluentissimè. Quanquam in successu filiorum non adeò erit felix, nisi jucunda aliqua, atque fatali irradiatione hunc aspexerit Iupiter.

Et hæc omnia Aries in occidente tribuit in aquosis locis

cis vel circa, aut ex aqua adducet. Præterea in discrimina maxima, in profectiones longas, in deserta loca, in pericula cum uxore, quandoque in maniacam destituet passionem, vel phrenesim: idque usque ad senectam, ubi tandem finis erit horum omnium.

Capricornus hac illac conquassabit in turbationes plurimas, sinetque rarissimè tranquillum agere. Nequepatrimonium patietur in tuto esse. Nunc labefactabit, nunc rursum restituet. Quoniam autem petulantes multum sunt quibus Capricornus in imo cœli est, ita & hic ex ignobili & illegitima, aut aliunde sane filium tribuet.

De horoscopo in Scorpione.

Si in Scorpione sit horoscopus, naturam arbitror manifestam esse, juxta animantis ductum naturalem. Qui hunc in horoscopo habuerit, facit iracundum, diffundentem clancularie aconita, mordentem clam lingua sua pestilentica: divitem, ut neminem hominum fluctuantem in periculis variis, ut desperare etiam possit: verùm iis aliquantisper in tranquillum redactis, placatissimum fructum percipientem gloriæ, dignitatum, obsequiorum,



lo

longanimitatis, religionis. Indit & vivacem spiritum, vigorem animi, politiemque sermonis. Proinde non obstante priori damno, filios multiplicabit: qui omnem anteactam amaritudinem sua felicitate compensabit.


Quoniam autem perrarò fit, ut quod ascendens ipse præstat, id etiam cæteri cardines cœli non spondeant, ita ex Leone medium tenente cœlum, eadem illi speranda sunt. Sed & fortitudinem addit & robur, quibus perfici hæc possint. Postremò omnium & dignitatem tribuens, & virtutum omnium præmium immortale.

Taurus in occidente tam clam, & in palam illius grassantes opprimet hostes. Quod contingere quidem illi possunt. Modica tantùm infamia consperget, ob veneream rem: & tamen & ipsa expirabit paulatim, & patrimonium nunc locupletat, nunc dispergit rursum.

Aquarius in imo cœli, discrimen ex aquis minatur, & ingratitudinem illorum de quibus ipse bene meritus est.

De horoscopo in Sagittario.

HOROSCOPUS in Sagittario ex iis est, qui multis



I 4

ac

ac variis periculis se implicant, ubi ascendens fuerit. Allicit atque trahit sub eo natum ad peregrinandum, tentandaque maria & fluvios maximos. Ingenium quoque largitur natura ipsa idoneum ad omnes, & ad eas quidem optimas disciplinas, modo hanc sequutus ductricem naturam fuerit.

Quod si fecerit, Virgo in medio cœli augmentabit fortunam, compensabitque habitos ingenii labores insigni aliqua potestate, qua cæteris antestet, qua & liberalissimè fungetur: necessaria præstiturus aliis hominibus, tametsi ingratis.

Liberos & nepotes Gemini dabunt in occidente, idque ubi in declive abierit juvenilis ætatula. Facient, & libellis vel arcanis rebus eum hominem.

Pisces in imo cœli, ex humidis locis dabunt subsidia. Facient & fidum, cui arcana concredi possint, sanguine vel ingenuitate nobilem. Quòd si modica radiatione hos respexerit Iupiter, uxorem obtrudet, verùm constupratam prius, vel alteram.

De horoscopo in Capricorno.



CA-

CAPRICORNUS non omnino malum signum, si in se horoscopum habeat, natum facit amabilem, lætum, fidum, subdolum, abundantem, sed pusillanimem, & inofferendis Deo preculis superstitiosum nimis, insuper etiam libidinosum, sed statim peracta voluptate, mox pessimè tractantem mulieres. Alienæ vitæ secretum censorem, maximè verò religionis, aut similis alicujus rei.

Libra in medio cœli, aliena damna, & mortes alienorum illi lucrum suum facit, proinde etiam honestum, pium, acceptum, eloquentem, eruditum, voventem in necessitate vota Deo, quo fiet, ut tandem, mala omnia felix & prospera senecta comitetur.

Cancer in occasu, infensos illi faciet amicos, periculis etiam innumeris implicans.

Quod ipsum & Aries comminatur in imo cœli. Fluctuabunt illius omnia, substantia, dignitates, officia, ferenturque nunc sursum, nunc deorsum. Tandem, ut diximus, moderabitur omnia Libra. Filium tamen in tantum præservare non poterit, quin non in gravem incidat valetudinem.

De horoscopo in Aquario.



In hoc signo vis horoscopi talis est. Moderatè divitem facit: effert etiam, atque apud potentes promovet: conjicit in pericula: è quibus veluti desperatus jam eximetur rursum divorum præsidio. Facit etiam hospitalem, munificum, prodigum, patronum eorum qui è bonis atque melioribus artibus, præ cæteris videntur attigisse aliquid, tractantem atque dissipantem sacra: & in tali constellatione

Si medium cœli occupaverit Scorpius, vires largitur & vitam tetricam ac duram. Ad itinera impellet frequenter, ut stare uno loco diu non possit. In uxoribus fortunam experietur adversantem sibi. Postremò omnium bonorum virorum suffragiis ex malis omnibus extricabitur.

Leo in occasu uxorem illi dabit, vel concubinam, qua cum variis simultatibus dissentiet. Dabit & anum: quæ ore quidem adblandietur sibi, ingentia illi promittens, verùm in animo alios amabit. Inimici illius erunt domestici ejus: & illorum adjutorio freti hostes alii, conabuntur collidere hominem. De alieno thoro copulabit in matrimonium aliquam, aut certè viduam.

Gloriam & pompam, quibus videtur deditus esse, illi adauget in imo cœli Taurus: cui & id acceptum ferre debet, quòd aliorum sibi bona adduntur: & vitam vivet diutur-

DE

De horoscopo in Piscibus.



Egregiè ingeniosum faciunt Pisces, animatum, cordatum, fidum, amicabilem, paulatim sublimatum, donec tandem ad fastigium hunc provehant.

Sagittarius in medio cœli, dejiciet in pericula multa, in multos errores: alioqui habilem facit, & qui potentibus etiam audiet lites movere: de alio quodam in discrimen adducet, facietque possidere non sua.

Virgo in Occidente facit cordatum, hospitalem, tenentem secreta, œconomum, amantem uxorem immodicè, sed quem vicissim illa non amat, ut cæteri quoque in quos ille officia collocat illi ingrati sunt. Vnde fiet, ut crebris laboribus & molestiis augetur, propter uxorem & liberos.

Insuper conficietur valetudine quadam adversa, procurantibus id Geminis in imo cœli. Vitio quopiam laborabit sibi tantùm noto: & substantiam quam amittet fortasse, rursum recuperabit, atque resarcient amici, ut ne sic quidem destitutus videri possit. Spiritum suo reddet autori in alienis locis à patria, morte inauspicata & repentina.

DE

De judiciis naturalibus, juxta revolutionem Solis per duodecim signa Zodiaci.

HUCUSQUE trivialia diximus de horoscoporum judicio, dicta etiam ab aliis, sed cujus furti nos non adeò pudeat, ac piget. Sed enim anteà præfati sumus, per compendium tantummodo acturos nos ea, quæ ab aliis prolixis commentariis sunt præcepta. Cum enim ubique reprehensibile furtum sit, in solis tamen literis non vitio tribuitur, sed laudi: maximè si quid ab aliis dictum obscurius est, quispiam cupiat elucidare. Earum inquam cavillationum nos non piget. Id dictum volumus ad eos, qui omnia fastidiunt, barbari ex trivio: cùm ipsi ad nullam artem idonei sint, & tamen omnia censere lingua sua spurcissima volunt. Tu quisquis es qui hæc legis, magis animum nostrum expende quam verba, qui parati fuimus ad docendum, nihilque omnino celare te. Si quid aliter cessit, præter nostram sententiam factum est. Ad judicia nunc properamus naturalia, ubi summatim de Ariete sic habet.

De Sole existente in Ariete.



Occu-

OCCUPANTE Arietem Sole, natum neque divitem facit, neque admodum extenuat, vel exhaurit. Item iracundum, sed citò placabilem, studiosum, facundum, varium, elatum, mendacem, luxuriosum, pollicentem (ut ille inquit) aureos montes, sed promissa non reddentem, male audientem ab affinibus: ab hostibus, quos habebit non contemnendos infestos sibi, adducetur in discrimen. A quadrupedibus, veluti ab equis futurum est, ut dejectus cicatrices accipiat, cum periculo etiam mortis: adeò non cedent illi prosperè aucupia, piscationes, venationes, status equestris, & quæ ejus generis sunt: in alienis tamen semper felicior erit, etiam longævus. Item si puella sit quæ sic nascitur, erit mendax, iracunda, venusta, curiosa, cupida novarum rerum, invida, fœcunda in liberis procreandis, sed primogenitus illi extinguetur, obnoxia periculis, unde notam accipiet, vel cauterium in capite: alioqui ex natura etiam signata in capite, vel in pedibus. Illud etiam ex autoribus deprehendimus, Arietis filios diurnales, ut sic dicam, id est, in die genitos, fortunatos esse, & magni nominis apud Primores, vel Principes, è contra nocturnales, diffortunatos & ignobiles.

DE

De Sole in Tauro.



ITA audacem facit Taurus, & fauſtum in aggrediendis vel pertentandis negotiis vel facinoribus arduis, victorem hoſtium ſuorum, peregrinum, & à paterno oſtio exulem, ſervilem, familiarem, iracundum: ferventius tamen in juventa quàm in ſenecta. Tollit nempe incommoda ſenectus, addetque divitias, & uxorem, atque hoc medio exhilarabit tandem. Nam in prima ætate, ſi quæ illi nupſerit, vix hanc ducet. Solas ægritudines non adimit: apponitque triſtitiam, melancholiam, morſum canis, atram bilem idque circa annum ætatis ſuæ 32. vel 35. his ſedatis, jam rurſum florebit, proficietque in longiſſimam ſenectam, aut Neſtoreos, vel Heſiodos annos. Non paulo aliter fœminas facit petulantes, laborioſas, obſequentes, dicaces, ob amiſſum pudorem infames: quæ infamia labeſcet paulatim, atque evaneſcet, ubi ad annum pervenerit viceſimum primum. Maritis nubet plurimis, procreabitque liberos. Erit quæ conſulere aliis poteſt prudens, circumſpecta & dives.

De

De Sole in Geminis.



GEMINI natura formoſi, formoſum faciunt, & miſericordem, ſapientem, ingenuum, liberum, jactabundum, curſorem, peregrinum, ſuarum rerum parum curioſum: quo fiet, ut neque dives evadet, neque penuria premetur, verùm medio modo incedet: ejus tamen fidei, ut ærario publico præficiatur. Animo hilaris, intelligens, aſtutus, ingenioſus, affabilis, natura quadam hominibus gratus: veluti ii qui Venerem habent in radice nativitatis. Pulchra quoque facie, pulchris & idoneis artibus imbutus, nempe mathematica, legibus, arithmetica. Id præ cæteris habet inſigne, ut cùm iraſcitur, celare tamen iram atque diſſimulare poteſt. Imminebit illi periculum ubi ad annum pertigerit 32. aut ex morſu canis, aut ex igne, vel ferro.

DE

De Sole in Cancro.



CANCER frigidus & humidus, carnem impinguat, allicit ad amorem mulierum, extimulat ad coitum. Alioqui semper ingenium præstat, humilitatem quoque & sapientiam, implicans litibus & bellis variis, ut multum tamen victorem hostium decernens: qui multa tentabit, præcipuè maria. In multis periclitabitur, variis quatietur incommodis, in multa paupertate & miseria, & si etiam lucri causa sit, nihil tamen inde habitior fiet; thesaurum effodiet, aut reperiet minimè separatum. Verùm si puella sit hujusmodi, pinguicula fiet, formosa, agilis, iracunda, placabilis, officiosa, prudens, civilis, verecunda, sagax, fallax, astuta, ingrata: aliud dicens, aliud faciens & habens in pectore, anxia, laboriosa, expositа pluribus periculis, periculis in aqua, periculis in casu, periculis in partu, in cholica passione, primum fœtum edens imbecillem, alterum validiorem. Porrò infamiæ si quid contraxerit, id quicquid est post annum diluetur 26. Vtrobique inimicorum victoria est, sive in fœminis, sive in maribus, atque prosperabuntur in annis sequentibus, bene

bene comati, modesti, fideles, laborioſi, avidi cibi & potus, noti magnatibus, bene fortunati in agricultura.

De Sole in Leone.



IN Leone Sol facit magnanimum, audacem, arrogantem, eloquentem, superbum, deriforem, immitem, immisericordem, durum, inexorabilem, tetricum, undequaque angustiis & periculis maximis septum. E periculis rursum eximit, & officiis præstituit publicis, centurionem facit vel pentacontarchum, è tribus magnatibus beneficia expectantem, infelicem in prolibus, & pro iis sustinentem labores & afflictiones multas, ad iram pronum, periculis exponentem se plurimis. Succendit choleram, interim etiam ad dignitates provehit & honores, vocat ad pericula incendii, ferri, impetitionem bestiarum, unde in loco succumbet non suo. E periculis tamen elabetur Dei præsidio. Simili pacto puella si fuerit, animabitur, facietque hanc magno & amplo pectore, gracilibus cruribus, quæ animositatis & audaciæ sunt judicia, atque item iracun-

diæ, contumeliarum, loquacitatis: sed tamen eum moderamine, remittit enim in omnibus iis muliebris clementia nonnihil. Pericula quæ illi imminent, sunt aqua fervens, vel ignis: ab iis custodire se oportebit. Ex infirmitatibus, stomachi torsiones. Cæterùm ab anno 20. vel 21. fortunam sentiet in divitiis, quas conquiret potentum opera, in usufructu rerum alienarum, in familia, pulchritudine, amore: filios tamen habebit paucos.

De *Sole in Virgine.*

SIC Virgo facit rebus domesticis bene præfectum, ingeniosum, veracem, magnanimum, affectantem honores. Auferet & uxorem illi ductam antequam cognoscat, tollentur illius quædam, atque diripientur, ulciscetur in adversarios, & adeò arcanorum malè retentivus est ut ne secretissima etiã sua celare possit, fortè quia jactantior deditior est, nitida facie, comptis moribus, facit etiam amatorem mulierum, in aulam se recipientẽ Regum & Princi-



pum. Præterea etiam justum, sapientem, bonum, honorabilem, consultorem, patronum amicorum, pium, misericordem, venustum, candido & mundo corpore, sed patum amicorum maxima cohorte. Puella ejus nativitatis erit ingeniosa, verecunda, pudica, benevola, officiosa, provida, iracunda, viro nubet circa annum 16. primogenitum parturiet eleganti forma, periculis implicabuntur plurimis, sive viri, sive mulieres fuerint.

De *Sole in Libra.*

SOL in Libra natum facit libidinosum, negotiosum, bene fortunatum, præcipuè in aquis, aut in iis quæ ex aquis sunt, præterea quæ ex aromatibus sunt, preciosis lapidibus vel hujusmodi, in obeundis itineribus prolixis & remotis. Corpore verò facit pulchro, agili, sermone comptum, optimæ famæ, rimantem arcana multa, sed in promissis rarissimè stabilem, tametsi aliud præ se ferat verbis ipsis. Exponet se insidiis & machinamentis plurimis malitiosis. Vxore prima non diu fungetur. Accedet & hæreditas illi ex rebus mortuorum, & partim ex ingenio



& pro

& proprio ſudore: alioqui tamen non facilè credit. In quadrupedibus animantibus non omnino erit diffortunatus. Propter mulieres verò plura & ingentia ſuſtinebit, impinget in turpitudine coitus illiciti, & ſomniorum interpres futurus eſt longè optimus, ſive diurna fuerit generatio, ſive nocturna. Puellam facit amicabilem, hilarem, jucundam, quæ varia oblectamenta ex pratis & herbulis capiet, quibus potiſſimùm gaudet. Ad loca propellit ignota, viro nubet circa annum vigeſimumtertium, cujus & matrimonium ſecundabitur. Efferet hanc forma corporis egregia, eloquium dulce, geſtus urbani. Neque omnino etiam inhabiles ſunt quicunque ſub Libra ſunt, ad literarum ſtudia & artes meliores. Cavebunt autem ſibi aut ab incendio, aut aqua ferventi: ex iis lædentur, niſi cautiſſimè ſibi proſpiciant.

De *Sole in Scorpione.*

IN Scorpione Sol augmentat hæreditatem nato, addit audaciam & frontem, & blandiloquentiam, qua fre-



tus

tus pluribus imponet, una manu panem oſtentans (quòd ajunt) altera lapidem celans, ſemper melle permiſcens venenum, ferè nihil eorum faciens, quæ dicit: aliàs tamen facetoſus, joculator, credulus, triumphator de inimicis. Sic ſi puella fuerit, facit amicabilem, ſolertem, fallacem, quæ primo ſuo ſponſo fraudabitur, altero fruetur hilariter, quæ vincet adverſarios ſuos. Laborabit ex dolore ſplenis, atque cauterium accipiet in capite, aut ſcapulis vel lacertis. Alioqui utriusque ſexus audaces facit & temerarios, ad prædandum, ad perveſtiganda quæ prohibita ſunt, ad ineundum pacta, ad contrahenda mercimonia, præterea etiam petulantes, fornicatores, inſtabiles, male cogitabundos, loquaces, iracundos, interdum juxta ac vehementer mœſtos atque afflictos. Cæterùm non deerunt qui hos magnifaciant, qui hos ad ſe vocant principes homines, ex plebeis etiam qui in illis aſſentientur: quî fiet ut multò fiant ſpectatiſſimi.

De Sole in Sagittario.



SAGITTARIUS non omnino malum ſignum eſt, manente in eo Sole, fortunam largitur, ſubminiſtratque

animum ad quidvis tentandum : quod inſtitueris animabit, in primis ad permeandas alienas terras, ad trananda æquora, inde non ſine quæſtu revertetur qui hujusmodi fuerit. Conciliabit quoque amicos ſibi, ut ad principum adſciſcatur domicilia & aulas, non quadras quidem colligens, & lingens paropſides, ut viles illi ſolent aulici, ſed ſubrogatus ad majora officia, alienam pecuniam diſpenſabit. Ad quod magnopere hunc promovebit, atque potiſſimum conſervabit in aula, quod natura agilis & fortis eſt. Inſuper equitatui, aucupiis, venationibus, ſaltationibus, pugnis, jocis, luſibus, conflictibus plane deditiſſimus eſt. Quamobrem etiam adverſarios habebit, qui hæc atque alia invideant, atque acerrimè hunc impugnabunt, ſed quos collidet tamen, atque pervincet. Et paternam hæreditatem adſequetur, quod non cuivis contingit. Frequenter etiam juſtos facit, ſciolos, tacitos, cordatos, ingenioſos, fidos, mites, ſtabiles, firmos, laborioſos, jactabundos. Quòd ſi puella fuerit, non multum etiam differet, facit eam anxiam, laborioſam, miſericordem, obnoxiam multis æmulationibus & inſidiis à malis hominibus, ſed victricem, fœcundam: quæ viro nubet circa annum 17. vel ſi non ſucceſſerit, circa annum 28.

De Sole in Capricorno.



CAPRICORNUS facit iracundum, levem, atque vilibus ſeſe aſſociantem perſonis, ſuſpicioſum, laborioſum, diſtractum variis ligitiis, quæ illi aliunde provenient, ſed audacter ſuſtinentem adverſaria, eritque cordatus. Deperiet puellas, & eas pauperculas & ſimplices, quæ tandem deducent hunc in ægritudinem. Facit etiam mediocriter divitem, benevolum, alacrem, facetum: verumtamen inſtabilem, ſi nocturna fuerit nativitas. Idque ferè in omnibus rebus. In ſenecta ubi viderit accedi ſibi divitias, incipiet amare pecunias, declinabitque à prima largitate in avaritiam. Nam in juventa tractari quidem utcunque poterit. Proſperabitur in navigationibus, maximè ſi ad Orientem fuerit. Ab Oriente etiam fortuna illi imminebit à magnis viris. Phyſiognomia ſic natorum talis eſt. Caput communiter habent parvum, compreſſos oculos, moderatam loquelam. Proderunt illis balnea ubi ægrotaverint. Porrò puellæ timoroſæ erunt, citoque erubeſcent. Dominabuntur inimicis ſuis, & ad aliena loca peregre proficiſcentur.

De *Sole in Aquario.*



AQUARIUS natum facit amicabilem, cupidum, proclivem ad febres diuturnas, diffortunatum etiam circa aquas, quas & natura abhorrebit. Crescet autem illi fortuna circa annum 35. & 36. ex quo tempore incipiet peregrinari, pervagarique loca varia, & paulatim etiam ditari. Sed quæ divitiæ nunquam ad extremum pervenient, neq; cumulabuntur in immensum, sed partitæ rursum dispergentur: nisi ubi anni advenerint postremi, ii resarcient quicquid largius expensum est in primis. Neque profectiones illæ ad longinquas regiones magnoperè illi ad cumulandas opes cedent. Aliunde ab alienis fermè majora sperabit, atque consequetur. Interim variis incommodis, jacturis, periculis distringetur, atque omnium maximè cum uxore & mulieribus. Ducta illi uxor in paralisim solvetur, sed neq; cum aliis etiam prosperabitur mulieribus. Vxore prima non diu fungetur: verùm hac resoluta in tabem mox felicius succedent omnia. Puella etiam sic in Aquario nata, similiter delicioſa erit, verax, constans, iis tribus masculum ferè excedens. Subinde ditabitur

tur alienis bonis. Consuletur illi de liberis, variis quatietur adversitatibus, tentabit aliena loca. Vsque ad vigesimum secundum annum humiliata incedet, ad 22. verò annum incipiet paulatim illi arridere fortuna. Mediocres divitias obtinebit. Frequenter omnes, sive mares, sive fœminæ taciti sunt, sapientes, ingenioſi, fideles, faceti, infesti inimicis.

De *Sole in Piscibus.*



PISCES in primis quidem annis multa suis obturbant mala, idque præter meritum interdum, faciunt etiam avaros, jocoſos, officioſos, luſores, negligentes fortunæ, probæ indolis, amantes bonorum consortia, procacis linguæ, audaces, sibi placentes, fortunatos in perveſtigandis thesauris. nam omninò illud eis evenit, ut & ipſi præter spem invenient aliquid. Partim etiam ab alienis ditabuntur. Non diu vivent nisi annum exceſſerint 35. tunc spes est longævitatis: non nimium tamen ditabuntur, sed moderatè, alioqui animo & opinione Crœsi divitias possidentes, obtumultuantes & nullibi non impor-

tunas cogitationes. Ob mulierem in captivitatem venient, & pauca illorum prosperè cedent in pueritia & juventute. Signum habent in cubito, vel in pede, & fortuna illorum ad meridiem. Puella sic nata erit fervida, audax, insolentis linguæ, contumeliosa, litigiosa, multis etiam undique circundata periculis, pudorem abjiciet, & relicto marito suo, adultero se (nisi cohibeatur) copulabit, molestabitur torminibus ventris & stomachi. Et hoc jam secundò de signorum influentia dixisse satis est.

De naturis domorum.

SUPEREST ut de naturis quoque agamus domorum & signorum, in quibus rebus nostris faveant cœptis, quid in unoquoque signo agendum, quî temperare actus nostros possimus, ut cuncta nobis eveniant secunda & prospera. Nam hic ferme scopus est Astrologiæ naturalis: ad quem nisi pertigerimus, nescio ad quid tandem illa possit nobis (Alchabitio inquiente) prodesse.

PRIMA domus Arietis est. Et primum etiam in ordine signorum, vocatur ab Astrologis domus vitæ, & ferè semper initia illis significat operum, id est, quæ in ipso vitæ exordio vel delectant, vel male afficiunt natum, item & robur & debilitatem. Denique omnia quæ ad vitam spectant naturalem.

SECUNDA est Tauri, Domus facultatum, victus, ministrorum, servorum, significans finem juventæ. In eam si forte fortuna inciderint Jupiter, vel Venus, planetæ, cæteris nobiliores, promovebunt ea in primis quæ ex bonis mobilia ab jureperitis vocantur: vel etiam immobilia, ut hortos, agros, vineas, reditus annuos & quicquid est, quod durare potest diu. Mancipia, si quis conduxerit in hoc signo, rem domesticam fideliter dispensabunt.

TERTIA domus. Successum cum fratribus, sororibus, propinquis, & minoris itineris, in tertia locant domo, id est, in Geminis. Si quis igitur in v horoscopum habeat, hunc pronunciant prosperatum iri à fratribus, à cognatis, à magnatibus & propinquis. Conducit & in hoc signo

signo, scribere ac mittere epistolas, ambulare iter breve, contrahere amicitiam, inire fraternitatem, & hujusmodi.

QUARTA, mansionis inscriptio est patrum, hæreditatum, thesaurorum, & arcanorum. In ea bonum est contrahere, emere, vendere, ambire vineas, agros, possessiones, erigere structuras & machinas, jacere fundamenta, effodere terram, quærere thesauros, testari, deligere sepulturam: prosperatur hæc omnia Cancer.

QUINTA est domus filiorum & dilectionis, legationũ, donationum, & eorum quæ post defunctionem vitæ ad laudem vel vituperiũ pertinent. Expedit Sole hanc occupante tractare omnia quæ in mentem veniunt, indulgere genio, pergræcari, helluari, peregrinari, inire pacta & amicitiam, propter gaudium Veneris illic, diffundentis lætitia. Convenit & vestibus novis vestire se, scribere epistolas, perjocari, ludere, conquirere sibi amicos, qui fidi sunt, quique possint in necessitate propugnare vel defendere.

SEXTA domus Virginis. Si quid autem ad tristitiam spectat, ad ægritudinem, id sextæ deputatur domui: & vocatur infirmitatis, ægritudinis, tristitiæ, servorum, gaudium Martis. Nulla hîc emptio probatur vel venditio, propter perfidiam, laborem, & dolorem: præsertim à Mercurialibus & Virginibus quos vitare oportebit. Exaggerat hæc in nos falsos testes, latrunculatores, & qui vitæ nostræ insidiantur, homicidas sanguinarios. Præterea & tumultus bellicos, seditionem factiones. Omnia hæc ab Virginistis in sexta, & Mercurialibus: propterea quòd Mars (ut dictum est) in hac gaudet.

SEPTIMA domus in Libra. Sunt deinde post ægritudines, nuptiæ, conjugia, & ea quæ circa mediam vitam velut in directa jam Libra trutinantur. In ea valet instaurare amissa, reparare desperata: & quia habitatio consummatæ inimicitiæ est committere quoque cum hostibus, undique immittere se guerris & litibus, iis præcipuè qui Arietem habent ascendentem.

OCTAVA ab Oriente mansio est Scorpionis. Domus vel pars mortis, timoris, payoris, hæreditatis, mortuorũ, & eorum

corum quæ post mortem fiunt. Commorante in ea Sole, vide ne quid auspiceris, neque iter arripias, non aquis credas te: facile hîc impingitur. Quamobrem vitanda omnia sunt bella, contentiones injustæ causæ, inimicitiæ, mulieres malæ, maximè si ex parte hæreditatis hæc oriantur.

NONA domus in Sagittario. Habent & fides, religio, prolixa itinera, sapientia, Philosophia, Matheſis, libri, epistolæ, narrationes, legationes, somnia, rumores, suas in cœlo stellas. Quo fit, ut peragrante hanc domum Sole vel Luna, ea tractari debent, quæ ad prædicta jam spectant, nam citius sortiuntur effectum, quam alio tempore. est enim hoc tempus consummatæ amicitiæ complementum.

DECIMA domus in Capricorno. Non omnino etiam frustra est, quod hîc in regem ascisciturr, ille verò præficitur potius. E cœlo est hoc, atque decima domo, vocatur, que domus regni, dictaturæ, magistratus; tribunitii, præfecturæ Imperii, & quicquid potestatis est. Si quid igitur præcipiendum est, si qua in ditionem redigenda provincia vel urbs, si quod adipiscendum magnificum regnum, si quis adoriendus judex, si patrocinandum egenis, si conferendum cum magnatibus & præpotentibus, faustè atque feliciter fieri potest, manente in ea domo Sole vel Luna. Vulgato nomine vocatur domus Capricorni ordine regulari. si Aries fuerit prima.

VNDECIMA domus Sole in Aquario. Hæc est domus laudis, fortunæ majoris, gaudium Iovis, ministrorum, auxiliatorum. Licebit in ea adoriri adversarios, conquirere amicos sibi, laudare alios à quibus præmii quippiam speratur, denique tractari possunt omnia quæ optamus ut fortunatè eveniant.

OMNIUM pestilentissima fermè est Duodecima. Nempe habitaculum inimicorum, carceris, laboris, ærumnarum, invidiæ, susurrationum, bestiarum, termini vitæ, nihil in ea frugi auspicabitur. Cavendaque in primis vincula & carceres, in quos si quis inciderit in hoc signo, maximo cum negotio liberabitur, & mortem operatur, & omne

& omne malum, residente nimirum ibi Saturno domino illius signi, vel Marte. Et sic de reliquis successivè signis, & domibus succedentibus.

ATQUE huc usque de natura & effectibus signorum, quid promoveant in iis qui hæc habuerint ascendentia, id est, qui nati sunt in talibus. De planetis res ipsa postulat, ut vel obiter in memoriam reducamus, quæ de iis in præcedentibus dicta sunt. Cæterùm nolui ut fucum hîc quærat aliquis in re omnino levi, ubi si jactare etiam nos velimus, res ipsa prohibet: ne circa hanc magnopere luxuriemus, atque ex musca (quod ajunt) faciamus elephantem.

De *Saturno domino genituræ.*

SATURNUS ubi dominus genituræ fuerit, habet id quod trahit natorum animos ubi illi concesserint habenas, nempe ad elationem, ad tumorem, pervicaciam, malitiam, ad calamitates & ærumnas multas. Largitur alioqui fidem, & in persuadendo consilium, ad decernendum quod justum est: nisi in propriis rebus, in quibus non adeò sapit, ubique sui ingenii, atque sibi vacantem facit, cibi parci, verùm potus largioris, ad uxorem & liberos non multum affectus. Præterea quantum ad corpus emacerat, exsiccat, infrigidat, noxios indit humores, ministrat pallorem, maturè accersit ægritudines, morbos omnes in unum exaggerat: videlicet pneuripomoniam, hydropisim, podagram, morbum regium, sive caducum, ulcera, alopitiam, cæcitatem, & quæ ex vitiosis humoribus sunt malorum omnium mare. Præscindit etiam vitam aut in loco humectiore, aut certè extra paternum solum ignoto, aut derelicto, atque eodem succulento. Malum est, si illius in mansionem inciderit Mercurius. facit enim incantatorem, magum, ariolum, fœdifragum, hostem parentum & fratrum (ne dicam) omnium etiam hominum.

De *Iove domino genituræ.*

IUPITER nusquam atrùm calculum meretur, nullum

lum est consilii, prudentiæ, scientiæ, eloquentiæ, & pulchritudinis donum, quod ille non magnificè præstet, ut si vir quispiam bonus deliniendus nobis fuerit, hunc oporteat fingere Iovianum. Nihil est quod multis agam, frugi & virtutes omnes optimas illi vendicato, non errabis. Summatim habent omnia Ioviales, tantum abest ut in illis virtutis aliquid desideres. Quorsum enim opus est, commendare in iis magnanimitatem, honores longè amplissimos, atque cæteras mundi dotes? cùm dixerim, nihil esse in illis quod desideretur.

De Marte domino genituræ.

CONTRA Mars ut natura pessimus, ita ingenia suggerit omnium pessima: & quemadmodum de Iovialibus diximus, nihil esse de quo in controversiam quidem vocari possint, ita de Martialibus pronunciamus, nihil esse scelerum quod audacter illi non audeant, nullum esse tam fœdum crimen quo illi contaminati non sint. Apud hos virtuti studere, piaculare est. Virtus maxima, latrunculari, grassari, cædere, succendere ignes, mentiri, imponere, deludere. Et quid dicam? genuinum est illis, omnia patrare nefanda, & si quid sceleribus sceleratius, aut scelestius est, illud impunè & citra frontem, illis facere summa licentia est.

De Venere domino genituræ.

VENERIS proprietates notiores etiam sunt, quàm ut multis ambagibus has convenias retractari. Neque video, quomodo non cum Iove coincidat nisi quòd operibus ac factis omnibus, virtutibus omnibus, scientiis omnibus, denique quicquid boni præstat Iupiter splendorem addit. Venus ad luxuriam, non eam tamen dico quæ in inguine est, maximè si Iupiter illi accesserit, aut hunc respectaverit benignius, vel certè cum Mercurio coeat. Cum Saturno & Marte, nota est significatio.

De Mercurio domino genituræ.

QUIBUSDAM Mercurius ambiguus videtur, cum bonis

nis bonus, cum malis malus. Hoc interim donemus: alioqui seorsum optimus est, tum maximè in dotibus ingenii ministrandis, quibus Iovem & Venerem præcellit. Porrò artium & disciplinarum genera, quæ ille largitur, notiora sunt, quàm ut repeti hic debeant.

De Sole cum genituræ domino.

TOTUM illud quod de bonis diximus planetis, & de Sole dictum volumus. Non malum planetam habet qui hunc habet. Non dico, si dominus genituræ fuerit: nunquam enim hoc sortitur. Perinde etiam ut Luna si cum domino genituræ inciderit, mihi medio quodammodo inter Martem & Venerem incidere videtur. Et quemadmodum in ordine medius est, ita & in natura mediocritatem servat Quod si cum tribus illis Iove, Venere, vel Mercurio scilicet, etiam convenerit, nemo non videt hominem hunc esse felicissimum.

De Luna cum domino genituræ.

LUNA ob hoc solùm malè audit, quòd instabilitatem gignit: verùm in homine instabilitas, quid tandem non malorum etiam trahit secum?

Canon super erectione figuræ cœli.

EADEM series est Signorum quæ in artificiali. Quodcunque principatum obtinuerit, semper juxta ordinem per singulas domus, singuli sunt infarciendi planetæ. Vt si Aries sit signum in quo natus es, loca Arietem in prima domo, deinde Taurum in secunda, Geminos in tertia, Cancrum in quarta. Si autem Sol fuerit in Cancro, tunc locabis Cancrum in prima, Leonem in secunda, Virginem in tertia, Libram in quarta, Scorpionem in quinta, Sagittarium in sexta, Capricornum, in septima, quod est oppositum Cancri, &c. ordine suo quem nosti.

PORRO dominium ipsum signorum longè diversum est, atque ferè præposterum, quàm traditum est à Firmico. Hic tantum ascendentis dominus spectatur, post hunc locantur in qualibet domo juxta eorum ordinē naturalem

cæteri

cæteri planetæ. Et in tantum cum artificiali convenit, quod ascendentis dominus juxta ascendentem collocatur. Cæterorum nullus ordo est nisi naturalis Verbi causa ponamus Sole existente in Ariete natum esse aliquem: cupio erigere figuram. Ea statuenda est sic. Scio seriem nunc domorum: pono in prima domo Arietem, in secunda Taurum, in octava Scorpionem, in nona Sagittarium, in decima Capricornum, in undecima Aquarium, in duodecima Pisces, sic inscripta signa sunt, qui mos est etiam eorum fermè qui ex horoscopis judicant. Reliquum est, quo subscribantur & planetæ domini signorum. Subsigno ad domum Arietis Martem: quia Mars est dominus Arietis & Scorpionis. Deinde ad secundam domum adscribo Solem, ad tertiam Venerem, ad quartam Mercurium, ad quintam Lunam, ad sextam Saturnum ad septimam Iovem, ad octavam Martem, ad nonam Solem, ad decimam Venerem, ad undecimam Mercurium, ad duodecimam Lunam. Vides igitur, excepto domino ascendentis, reliquos juxta ordinem suum locari naturalem. Quando autem de ascendente hîc loquor, nolo quis intelligat de ascendente tempore horoscopi, sed de signo in quo fuerit Sol.

ITEM in secunda revolutione pones Saturnum ad primam & erit dominus vitæ 13. anni nati. Deinde ad secundam Iovem, & judica de substantia nati juxta naturam ejus. Exinde ad tertiam domum locabis Martem: ex illo judicabis de fratribus & propinquis, brevibus itineribus &c. Ad quartam pones Solem, & juxta illum parentes hæreditatem in decimo sexto anno judicabis. Ex typo illo licebit cuilibet fingere similem revolutionem, & perspicere, quid singulis annis futurum sit cuique. Significat enim hîc domus, non monumentaneam illam revolutionem, qua duabus horis in unaquaque domo versatur Sol, sed anniversariam. Vnde revolutionem unam subdidimus vergentem ad annos fermè 84. juxta ascendentem Arietem. Si autem cæterorum aliquod in ascendente fuerit locatum, alia formatur, sed tamen ad eum typum. Si vis

vis de prolibus, respice quintam. Si de ægritudine, de pecudibus parvis, vel de servis, vide sextam. De connubialibus, inimicis manifestis septimam. De morte, & hæreditate mortuorum, & de generibus eorum, aspice octavam, atque sic de reliquis domibus.

NEQUE video quid ultrà possit vel debeat addi. Summa hujus artis est, scire naturam signorum & Planetarum, deinde erigere figuram, & exercere quod lectum est Experiatur qui velit, videbit hanc cum artificiali non solùm convenire, sed etiam longissimè excedere, non tam propter facilitatem, quàm certitudinem. Cernis enim, ut nihil inibi speculandum est, nisi pauca quædam quæ ex artificialis penuario proferuntur: & quod in præfatione sumus testati, id jam secundò repetimus citra pudorem; Liechtenbergium suæ ætatis doctissimum in naturali mathematica hac arte sola Astrologos omneis dementasse, ex hac egisse stupenda. Itaque iniquum videbatur nobis, si tanti magistri artem tam dignam sineremus obscurari. Nam ex eo hanc hausimus, non nostropte ingenio finximus, propter quod eò minus in jus vocari debemus, aut criminari à quoquam, si non omnium palato fecerimus satis. Nisi hoc fortasse vitio debeat verti, quod aliorum benefacta posteris exponimus, & aliena præferimus nostris. Quod si nephas est, quis hîc tandem immunis à vitio erit; etiam ii qui hac tempestate judicantur doctissimi. Figuram unam è regione subjecimus. Cæteras revolutiones qui nosse velit, tabulam legat mox sequentem.

FIGURA REVOLUTIONIS SIGNORUM & Planetarum, juxta Astrologiam naturalem, cujus horoscopus est ♈ & dominus illius ♂.



CONTI.

CONTINUATIO FIGURAE PRAEcedentis, ab horoscopo primi anni ♈ usque ad annum 84.

♈ 1 ♂	13 ♄	25 ☿	37 ☉	49 ♃	61 ☾	73 ♀
♉ 2 ☉	14 ♃	26 ☾	38 ♀	50 ♂	62 ♄	74 ☿
♊ 3 ♀	15 ♂	27 ♄	39 ☿	51 ☉	63 ♃	75 ☾
♋ 4 ☿	16 ☉	28 ♃	40 ☾	52 ♀	64 ♂	76 ♄
♌ 5 ☾	17 ♀	29 ♂	41 ♄	53 ☿	65 ☉	77 ♃
♍ 6 ♄	18 ☿	30 ☉	42 ♃	54 ☾	66 ♀	78 ♂
♎ 7 ♃	19 ☾	31 ♀	43 ♂	55 ♄	67 ☿	79 ☉
♏ 8 ♂	20 ♄	32 ☿	44 ☉	56 ♃	68 ☾	80 ♀
♐ 9 ☉	21 ♃	33 ☾	45 ♀	57 ♂	69 ♄	81 ☿
♑ 10 ♀	22 ♂	34 ♄	46 ☿	58 ☉	70 ♃	82 ☾
♒ 11 ☿	23 ☉	35 ♃	47 ☾	59 ♀	71 ♂	83 ♄
♓ 12 ☾	24 ♀	36 ♂	48 ♄	60 ☿	72 ☉	84 ♃

Supputationem Lector, si velis, in infinitum exaggera.

FINIS LIBER V.

IN LIBRUM SEXTUM DE PERNOSCENDIS PLANETIS HOROSCOPORUM & SIGNORUM ASCENDENTIUM EX QUATUOR COMPLEXIONIBUS, IOANNIS INDAGINE.

PRÆFATIO.

SCIO quid hic dicturi medici sint, si viderint in suam messem falcem misisse me: atque illud me: atque illum mihi opprobrabunt fortasse, Ne sutor ultra crepidam. Quibus nos obgannimus vicissim, Plerunque & holitor opportuna loquitur. Neque etiam protinus doctum facit professio, sed labor atque industria. Quæ quoniam moderatè nobis contigerunt, modicum etiam illud celare volumus studiosos. Illud inprimis obtestantes, ne ante damnent quàm legerint nostra. Subinde si alia dixerimus à Galeno & Avicenna quàm ipsi scripserint, hactenus condonent licentiam hanc nobis: quamquam pro viribus conati hic sumus, ut & illis diceremus consentanea: nisi quantum astrorum scientia nos ab illis cogit dissentire. Non enim hic nostrum negotium agere volebamus, sed juvare medicos qui alioqui ex complexionibus omnia dijudicant: ut non tam protritis illis freti manuductionibus, ut puta urina, physiognomia, & pulsu, ac hujusmodi, quæ imponunt nonnunquam parum sollicitis, quàm etiam ex Astrologia salvare ægrotos possent, atque cognoscere qualitates hominum. Operam nostram boni consulite, quicunque Lectores estis, non studium ipsum nostrum metientes, sed conatum. Ad rem ipsam properamus.

Quid

Quid sit complexio.

Complexio quid.

EST autem complexio, autore Avicenna, qualitas, quæ ex actione ad invicem & passione contrariarum qualitatum in elementis inventarum resultat. Quam definitionem qui velit exantlare ad unguem, actiones illæ & passiones quomodo in se agant mutuò, legat eum autorem libro 1. fen. 1. doctrina 3. cap. 1. Nos præmittere oportebat: ne quid non diceremus quod ad rem pertineret. Sicut & illud de quaternario numero elementorum, de qualitatibus primis, de illorum actionibus mutuis, quæ petenda ex Philosophia sunt naturali. Neque enim id intendebamus, sed quantum ad stellas & genituras pertinet, adsignare rationem, cùm complexionem alicujus noverimus quibus stellis vel Planetis fiat, ut ad hoc vel aliud ille inclinatior est. Exempli causa. Sanguineus aliquis est, sed verbero, raptor, sanguinarius, quæ in sanguineis rarò sunt: conjicio hunc Saturnum, vel Martem habere in horoscopo nativitatis. Naturam singulorum Planetarum subjecimus. Ad hæc quia magnopere conducit & Physiognomia, & Chyromantia, utrasque præmisimus: & hic etiam insperssimus, quantum rei præsenti convenire nobis videbatur.

De iis quæ bonam faciunt vel malam complexionem.

NATURAM bonæ complexionis, vel malæ, Albertus vir naturalium rerum non imperitus, in tribus ait consistere, in debita corporis mole, in eleganti membrorum dispositione, & in venustate coloris. Ex iis licebit conjicere ingenuitatem complexionis, sive ad sanguinem, sive ad phlegma. Rursum habitudinem malam in nimia crassicie, nimia macilentia, in immodica tenuitate, corrugatione & squalore: quæ quem possederint, faciunt melancholicum, cholericum vel phlegmaticum. Crassitudo enim ex immodico frigore & humore est, macilentia ex caliditate & siccitate, squalor ex frigore & humore: quanquam hîc secus quibusdam placeat. Porrò gelu & humor

Crassitudo. Macilentia.

phlegma faciunt, caliditas & ſiccitas choleram, frigiditas & ſiccitas melancholiam.

De obſeruantia complexionis ex colore.

Color trifarius.

HABITUDINI corporali ſuffragatur & color. Eum trifariam partiuntur. Nam quendam ineſſe capillis; alium cuticulæ; tertium oculis. De iis admodum plura etiam Ariſtoteles. Omnes ſi in unum computentur, aut ex æqualitate conſiſtunt, ut albus rubeo permixtus, & cauſſatur ex abundantia humorum. Aut ex inæqualitate, ſive ex obliquo conveniunt: verùm nobilior qui ex æqualitate conſiſtit humorum. Differentiam ſi ſcire voles, ex ſenario dependet. Primus, ex albedine & rubedine eſt. Secundus, niger. Tertius, citrinus. Quartus, glaucus. Quintus, albus. Sextus, rubeus. Extremi ſunt albus, & niger. Cæteri medii, partim ex albore, partim ex nigrore commixtionē habentes in æqualitate. Optimus tamen, qui ex albedine & nigredine eſt. Autor Galenus. Notiones hæ ſunt, albus conſperſus rubore, tumentibus buccis, ſanguinem notat: albus phlegma, pallidus melancholiam, fuſcus, ſubniger, niger, choleram.

Colorum differentia.

De complexione pernoſcenda ex tinctu capillorum.

NEQUE obſtat, quod de capillorum natura autores referunt quidam, datam videlicet ad decorem: quod ſic ornatu ſplendoris nonnihil adfert naturæ. Non ideo tamen abrogatur conjectura: cùm multis argumentis teſtari poſſimus, etiam de complexione. Verbi cauſa. Viros depiles & imberbes, aut eunuchos, aut phlegmaticos: nigros, & nigrantibus capillis, cholericos ut plurimum. Sunt autem quatuor, qui vulgati quidem ſunt: niger rubeus, glaucus, & canus. Glaucus ex humore melancholico eſt, Canicies ex defectione caloris naturalis, & phlegmatis putreſcentis. Rubedo videtur adſerere ſanguinem, nigredo choleram, glaucedo melancholiam, albedo phlegma. Quæ cauſa eſt, quòd rubor nigredini præfertur, quòd nobilior complexio ſanguinis eſt, quàm choleræ. Et illud corpus

Color, Glaucus, Canus, Rubeus, Niger.

corpus optimum eſt (teſte Galeno) quod molliculum rubeis capillis ornatum eſt. Tametſi hic plurimum refragetur Conſtantinus, nigrum ipſum præferens. Tum quòd fortior atque ſtabilior eſt, tum etiam propter juvamentum. Quæcunque enim ſuperfluitas magis eſt nociva, ejus expulſio præſentius juvat: Vt cholera ſuccenſa, & ſanguis aduſtus magis conficiunt, quàm ſanguis non aduſtus. Verùm ad iſtius expulſionem ſequitur generatio capillorum nigrorum, & non rubeorum: præſtat igitur rubedini nigredo. Aliis aureus magis placet, cum nigrore in oculis. Quod utrumque etiam ſinamus. Alberti certè placitum eſt: optimum colorem optimam deſignare complexionem cerebri, videlicet calidam & humidam. Tametſi in operationibus naturalibus, magis conveniat caliditas & ſiccitas, maximè ad apprehendendum aliquid. A calore eſt enim quod velociter rem aliquam deprehendimus, ab ſiccitate memoria & firmitas retinendi. A calore motus eſt & agitatio, à frigore quies & tranquillum. E quibus ratiocinatur, magis cerebri complexioni convenire ſiccitatem, quàm humiditatem. Videmus enim quibus cerebrum eſt humidum, hebetis ingenii eſſe, ſomniculoſos & tardos: ſiccum verò, acres, vigilantes, ſobrios. Quàm plura igitur ex capillis deprehendi poſſunt, quæ ad complexionem ſpectant. Sed in præſentiarum ſatis.

De complexione Cholerici.

Cholericam complexionē facit caliditas & ſiccitas. Vnde qui calidi ſunt & ſicci, cholerici vocantur. Agnoſcuntur autem ex phyſiognomia, & urina, & ex horoſcopo nativitatis. Quo ad phyſiognomiā, oblonga habent membra, & ea gracilia, nimirū ſuffocato atq; extincto humore per caliditatem & ſiccitatē. Capillos habent interdum criſpos & retortos, interdū planos & nigros, nonnunquam etiam rubeos & duros. totum ex abundātia caloris. Oculos profundos, naſum acutū, faciem citrinā. Eloquium velox, pectora ampla, & hirſuta, egeſtiones aduſtas, & umbili cotenus hirſuti ſunt. Vocem argutā, pulſum purum & præveloce, greſ-

Phyſiognomia Cholericorum.

sus celeres. Proclives ad ebrietatem: ob stomachum,& calidum cerebrum. Insomnes, proni ad coitum, oculos habentes citrinos, os amarum, linguam asperam, torsiones in stomacho,siticulosi,citò caligantes in oculis. In somnis & visionibus nocturnis videntes rogos succensos. Flammas,morticina,sanguinem,lites,homicidia. Atque eousq; de physiognomia corporali. Cæterùm juxta animum audaces sunt, iracundi, & qui reconsiliari statim possunt: dociles,ingeniosi,fidi,prodigi in dandis rebus,synceri, zelosi amatores Iustitiæ, impingentes in lingua ubi irascuntur. Neque enim fervor ille sanguinis sustinet, ut seriatim verba promant. Tametsi quidam sint, quos eousq; perduxit labor & assiduus conatus, ut multa hujusmodi possint dissimulare. Sed non potest tamen lana tincta mutare colorem, atque id admodum perspicuè deprehendi potest. Quicquid enim præter naturam accersitum est,vel conquisitum, dissimulari diu non potest.

Rationes de proprietatibus Cholericorum.

Rationem si quis poposcerit dictorum, talem damus. In primis de irascentia: quæ quoniam humorem supprimit, flagranti velut flamma absconsa aliquandiu: quæ ubi rimulam adepta fuerit, erumpit in incendium. Idem prodigalitatem causat, hac illacque diffundens se per latera, non sursum. Similiter & audaciam propter elationem spirituum & caloris: unde interdū difficillima conantur, & promittunt(ne dicam)impossibilia, gestiente atq; saliente corde præ nimio æstu. Eodē pertinet exile caput cum amplo pectore: quod ex eodem corde provenit calido. Quod etiam agiles sunt & dociles,nemo etiam non videt perpolire atque habilitare omnia. Sic gracilitas ob defectionem humoris est, proceritas ex calore,qui in alium tendit.

Irascentia cholerici. Prodigalitas. Audacia. Agiles. Dociles.

De Planetis consentientibus ad complexionem.

Proximi nunc planetæ sunt, qui quando dominia suscipiant operæ pretium est cognoscere. Ii quando ascendentes,vel in radice nativitatis sunt, licet ex Astrologia artificiali discatur, tamen hìc citra erectionem figuræ auscultatur,atteata sola physiognomia & complexione.

De

De Saturno in radice nativitatis Cholerici.

A SATURNO sumamus exordium. Hic in radice nativitatis collocatus est, si videris hominem subpallidum, defixis oculis, lento gressu & tardiusculo. Reprimit enim nonnihil innatum calorem Saturni frigus: verùm macilentiam non adimit. Oculos subministrat minutos nervos & ingenium ad pessima quæque meditanda, sub prætextu honestatis: quod esset alicui bonum,si non tam maligno sydere obscuraretur. In dandis etiam consiliis, plus quam dici potest, ad omnia nefaria perpetranda, consultissimum, videlicet ad expugnanda castra, civitates,oppida,ad instituendas proditiones, & bellorum acies. Hæc omnia solitarius agit, lugens ac mœrens: adeò nihil est celestum, & facinorosum quod ille non audeat. Interim tamen omnibus iis plurimum sibi placens. Alioqui parcus in cibo & potu, semper irrequietus,semper sollicitus,semper in laboribus quasi omnia ad se corradere possit Obiter de Saturno hæc.

De Iove in radice nativitatis Cholerici.

IUPITER benignior est,Facit candida cute, & prolixa barba, recalvastrum in fronte,coma subruffa vel tincta, facilem ad iram, & item facilem ad redeundum in gratiā. Disponit ad consilia, & ad prudenter dispensanda publica negotia: ratione temperamenti & caloris. Signum est in radice locatum esse,quibus conditiones hujusmodi.

De Marte in horoscopo nativitatis Cholerici.

MARS si dominium in genitura aliqua obtinuerit, facit colore rubeum, veluti ambustum ab Sole, rotunda facie, felinis oculis,atroci aspectu,insolentem, indomitum, inconstantem,nugacem,impostorem. Alioqui in rebus agendis celerem,depilem in vertice,mediocri statura, crasso syncipite, naribus prominentibus: qui cùm graditur, distantes passus locat,atque hos veloces. Victoriosum,audacem,frivolum, seditiosum, gulonem, hostem humani fœderis, & cui ne cum amicis etiam convenit bene, futurum ductorem exercituum,aut tribunum plebis,sanguina-

rium, rixosum, nugatorem insignem, malitiosum. Nihil admodum à Saturno distans, nisi quod ille consiliis molitur, id ille factis exequitur. Sine Deo, sine fronte, sine pudore persequens eos qui probitatis & virtutis studiosi sunt; tam sine mente, ut solus sibi sapere videatur: tam cæcus, ut nulli unquam bono precari bene possit. Nisi Veneris accedat delinimentum, quæ quia frigida est, & humida, ob insitum natura frigus, remittit nonnihil alterius fervorē. Carnem multiplicat, & blandiorem facit hominibus, pro ferocitate jucunditates participat, & civilitatem, oscula, comessationes, voluptates, pulchritudinem, dulcedinem, circunventiones mulierum. Efficit & pejeratorem, fœdifragum, violatorem jurisjurandi, in sui ipsius factis parum sollicitum, quæ Veneris proprietates sunt. Quanquam enim non adeò malæ sint, tamen illius bonitatem alterius contaminat malitia. Omnium pessimè seducit, ubi domicilium Saturni permigraverit, id est Capricornum, vel Aquarium. Aut si Mercurius in domo Martis retrogradus fuerit, hoc est in Ariete, vel Scorpione, tunc enim facit impudentem, desperatum, incorrigibilem, maximè ubi bene potus inebriari cœpit: tunc obbrutescens, homo esse desinit. In rebus mechanicis præclaros atque spectatos opifices facit, æris aut ferramentorum fusores, lanios, carnifices, chyrurgicos. Et si accesserit illi Venus, barbitonsores. Si verò Mercurius, qui malagmatis & emplastris occupat se, chyrurgicum, seu unctorem.

☌ ♄ *differt.*

☿ *temperamentum* ♄

☿ ☌ ☉ *cum retrogradus.*

De Mercurio in radice nativitatis Cholericorum.

SIN autem in radice fuerit, locatus autem perperam, id est, in domo Saturni, vel Martis, & nullum habuerit aspectum benignum, aut commixtionem Veneris, Iovis, vel Lunæ, ferè peior frequenter Marte est. Id verò ex illius factis sic deprehendes. Facit sacrilegum, prædonem, violatorem sacrorum, incendiarium, interfectorem, exulemà patria, oppressorem pauperum, pupillorumque, & viduarum. Neque id quidem satis, quin & hæsitare in fide facit, & ære implicans nunquam solvendo, semper involutum

lutum periculis, semper proficientem in pejus, è charibdi in scyllam juxta proverbium. Hæc si fortasse primo obtutu non omnibus patent, ex raritate capillorum pernosci possunt. Secus si Venerem propitiam habeat, aut Iovem, vel Lunam. Cum Venere argentarios facit, egregios sculptores, in omni opere æris aut ferri, vasorum musicorum opifices, & quanto propius ac vicinius respexerint, hoc diminuitur Mercurii malitia. Fit autem perquam rarissimè, ut statuta excedat hujusmodi.

De Sole in radice nativitatis Cholericorum.

CUM Sole perrarò fit, ut suam commixtionem cholericis impertiat: nempe sanguini additior quàm choleræ. Facit autem alioqui in colore fuscum, modico cum rubore, carnosum, & prægrandibus oculis, barbatum, bene capillatum, capite obeso & rotundo, mediocri statura. Insuper etiam iracundum, sapientem, hypocritam, largum, cupidum laudis, sonora voce. Interdum etiam audacem, ubi probè fuerit adpotus.

De complexione Phlegmaticorum.

PHLEGMATICORUM complexio frigida & humida est. Nam Græcè φλέγμα humorem significat. Atque hic multa distinguunt de humorum diversitate medici: quæ quoniam nota sunt, libenter connivebimus. Cæterùm phlegmaticum ubi ex physiognomia velis pernoscere, unam faciem contuere, qua præditus est præpingui & alba. Est carnosum corpus, pectus depile, venæ strictæ. Ejus rei hanc adsignant rationem: quia frigus crassiciei semper causa est & somnolentiæ: propter fluorem permixtum frigido, atque inde etiam esse, quòd coitus appetentes non sunt, nisi vino admodum madidi, aut aliunde calefacti.

De Saturno in radice nativitatis phlegmaticorum.

NON raro phlegmaticis dominatur Saturnus, & ratione

tione frigiditatis participat cum phlegmate. Id autem operatur quod alias ex natura solet : nisi quantum obstiterit illi complexionis bonitas, perspicuum est enim, quòd in nativitate constitutus hominis sanguinei, non tantum virium habet quantum in melancholico vel phlegmatico, reluctante nimirum natura complexionis. Sic jam in nativitate phlegmatici, hominem suapte natura obesum ac circa oculos lividum facit & tardum, submisso capite & humeris, tristem, odibilem, invidum, detrectantem optimis quibusque, patronum malorum, & ad machinanda perversa doctissimum. Et licet interdum videatur agere aliud, & conviviis lætantium immiscere se, familiaritatem tamen diu non sustinet, aut certè dejectus mœret. Facit & incivilem, & agrestem, atque non tam non studentem urbanitati quam aliorum etiam moribus & ritibus bonis adversantem. Ingenio plumbeo, & retuso, capientem vix multa cum industria aliquid : in malis verò tum excogitandis, tum discendis suapte natura industrium. Etiam pauciloquum facit. Porrò immodica taciturnitas illa misantropiam gignit, inprimis verò mulierum, contrà ordinem, contra sexum, contrà naturam. Cui severitati propior accedit appetitus vindictæ, ira, invidia, curiositas rerum alienarum. Cum Marte verò quid faciat, tædet fermè adscribere. Facit hunc audacem, temeratorem, sceleresum, præcipitem, improvidum, inobedientem, atque in iis agentem constantissimè. Et si Mercurius quoque comes vel socius sit, insidiatorem, infidelem, malè sentientem de Deo, de superis, de religione : deceptorem amicorum, homicidam, rixosum, sacrilegum & prædonem sacrarum rerum. Iam ubi talem aliquem videris phlegmaticum, conjice hunc Saturnum male vel Martem habere in nativitate : si aliunde hoc ex erecta figura non licet.

De Iove in radice nativitatis Phlegmatici.

IUPITER deinceps in ascendente, calore suo frigiditatem phlegmatici temperat leniter temperatū corpus, mediocre

diocre & molle reddit, non grave, aut carnosum nimis. Ornat etiam perquam venusto capillitio, optimis moribus, optimis gestibus, dulci eloquio, pace, religione, sanctimonia, justitia, veritate, consilio, misericordia, clementia. In vestibus & corporis decore paulo plus facit curiosiorem, atque in hujusmodi etiam felicem & prosperum.

De Marte in radice nativitatis Phlegmatici.

MARS si malè in nativitate Phlegmatici inventus fuerit, facit in colore subruffum, coactæ atque coagitatæ naturæ, fortem, audacem, loquacem, mendacem. Nec tam clemens aliquis aspectus aliorum Planetarum est, quin si dominium nati fuerit consecutus, malitiam suam non exerat in eum. Adurit in vertice capillos, amplificat faciem, & inspissat caput, faciet crudelem & torvum aspectu, audacem, præferocem, alacrem, præpetem, importunum, iracundum, verbosum, jactabundum, proditorem, protervum, speculatorem, autorem discordiarum, raptorem, verberonem, parricidam, flagrionem, matricidam, amicorum clancularium æmulum. Tametsi mitius agat hæc omnia in Phlegmatico, quàm in Melancholico, vel Cholerico, despumante nimirum ac defervescente calorem Phlegmatico humore. Vitam alioqui incidit, dirumpitque fatalem illam Chordam, aut præcipitio, aut inopinata mor[illegible].

De Venere in radice Nativitatis Phlegmatici.

VENUS lascivientem facit lubricum & lætum, elegantem & gratum, amabilem, comem, suavem, pium, benignum, justum, syncerum, corpore candido, eloquio dulcem, coma densa reflexa molliter, vel crispata, potorem, musicum cytharœdum, cantorem. Ex artibus quæ manu fiunt, pictorem, & earum artium studiosum, quæ absque sordibus sunt. Cum Mercurio petani facit, mathematicum, oratorem, gymnosophistam, lanistam, chyronomum

mum, & in iis omnibus acceptum hominibus, boni rumoris & celebrem. Mars ubi irrepserit, commutat pro iis fraudulentiam, vaniloquium, & ea quæ suarum virium sunt.

De Luna in radice natiuitatis Phlegmatici.

LUNA facit album, aspersо rubore modico, capite denso, conjunctis superciliis, oculis pulchris, & fortasse inæqualibus, laboriosos, maximè in tentandis atque pervagandis itineribus variis, & si in signo fuerit aquatico, id est, in Piscibus vel Cancro, supra modum pingues facit.

De Melancholica complexione.

MELANCHOLICA complexio frigida & sicca. Nascitur autem ex humoribus superfluis & adustis. Et ut paucis dicam, fæx illa sanguinis est, colata à splene. Sapor ejus inter dulce & ponticum medius est: dirivaturque ab hepate, cujus una portio mittitur ad splen, altera relegatur ad singula membra. Qui ad splen demanat, risum diminuit. Quo fit, ut qui eo humore immodicè abundant, parum rideant. Illorum calvariæ tametsi durissimæ sunt, perquàm facillimè tamen offenduntur à gelu. Quin & hoc illis familiare est, quod in juventa plus sapiunt quàm in posterioribus annis, senescunt autem quàm citissimè, præmatura adhuc ætate erumpunt illis cani, deflacceſcũt capilli, tardiusculè irascuntur, verùm semel provocati acriter, non desinunt citra convicia & verbera. Ferè nihil probant earum rerum quæ ab vulgo laudata sunt, non sinit enim hoc sanguinis malitia calore privatus, præterea venæ illæ restrictæ, & sanguine vacuæ. Sed neque coitum permittunt, nisi ab mulieribus admodum impetantur & sollicitentur. Ossa habent dura, corpus aridum, cutum asperam, quæ omnia corrupti ingenii indicium sunt Nam præterquam quòd indicium illis est admodum pingue & obtusum, etiam immodicè perciti invidia sunt, rancore, tristitia, suspicionibus, impudentia, stoliditate, & si quid iis excogitari potest malignius. Odiunt in hominum cœtu versari, amant secessus & umbras, subducunt ab omnibus conventibus se, pavitant ubi timendum minimè est. Observant somnia, quæ & contingunt illis semper verissima. Avaritia illis connata est. Inebriati, ac constituti inter musicen & vinum, lachrymantur. Neque statim concredunt etiam amicissimis se, verùm semper latens secum venenum alunt in aliorum perniciem. Hæc generatim dicta sint.

De Saturno in natiuitate Melancholici male fortunato.

IAM si pessimæ complexioni pessimus Planeta accesserit Saturnus, omnia hæc mala conduplicat, & exaggerat. Facit facie distortum & ineptum, discoloratum, tristem, timidum, desperatum, sordidum, obsoletum, varium, torvis & trucibus oculis, fætulento anhelitu, profundarum & earundem malignarum cogitationum, sui sensus, sine fœdere, sine jugo, graviter incendentem, ignavum, labiis spissis, scapulis carnosis, signatum in pedibus vel calcaneo. Ex artificiis cerdonicam callentem, & si quæ sunt ex iis viliora. Hoc de Saturno tantum. Fit autem non rarò, ut illi adsocietur & Mars idem ipse malignus. Addit igitur ille malum malo, ægritudines, timores, imposturas, rixas, sanguinem, calamitates, pericula, incestum, stupra, impietatem, idololatriam, prophanationem Deorum, sanctorum, & religionis. Neque est quod leniri ista possint ab aliquo planeta. Si verò contigerit, ut excluso Marte coeat cum Iove, vel Venere Saturnus (id quod fit rarissimè) excellenter ingenium auget, & quarundam artium inventorem facit. Cum Luna, peritos molitores, & molendinorum constructores, item pontium, navium, fontium, aquæductuum colonum quoque & agricolam, architectum, è quibus & ditabitur.

♄ ☌ ♂

♄ ☌ ♃

vel ☌ ♀

♄ ☌ ☽

De

De Marte participante in Melancholico.

MARS autem si solus perhibeat testimonium complexioni absque Saturno, semper facit calumniatorem, minaci vultu, mediocriter audacem, signatum in facie, lentum, incurvum, fallacem, timidum, proclivem ad furta, ad latrocinia, & quæcunque damna inferenda proximo, etiam non nocenti se. In cujus domicilio si retro gradus fuerit Mercurius, aut impeditus, melancholicum facit mente captum, vitia sectantem paterna, & paternis infectum moribus pessimis: ut si fatuos ille habeat parentes, aut aliunde male morigeratos, nullis neque terroribus ab illorum poterit divelli pervicacia & semel imbibita consuetudine.

De Mercurio in radice nativitatis Melancholico.

MERCURIUS in hac complexione si eversus fuerit, facit incredulum, male sibi conscium, literatum tamen, & vaniloquum, ardelionem & jactabundum, maximè si quid proferendum ex literis est, aliud tamen semper in ore, aliud in corde habentem, aliis persuadere volentem quod ipse non credit, acutum persuasorem, scrutatorem multarum rerum, felicem quoque in factis suis, male volentem tamen amicis & de se bene meritis. Saturnum si secum habuerit, facit peritum mensurandi agros, vineas, campestria; doctum architecturam.

De Luna in radice nativitatis Melancholici.

LUNA si dominium in Melancholico assumpserit, facit corpulentos, tenaces, sibi ipsis placentes, crapulosos, avaros, anima mala monachos, sed qui rarissimè servant institutum. Saturnum secum habens, osorem facit hominum. Martem verò susurratorem, & disseminatorem malorum. Mercurium, congerronem, obstreperum, nugacem, instabilem, & aliorum interpolantem verba.

De

De sanguinea complexione

SUPEREST ut de Sanguinea disseramus complexione: quæ omnium censetur esse optima, atq; paucioribus contingit. Ejus proprietates obiter hæ sunt. Vocem habent acutam Sanguinei, juxta hilares sunt & læti. Cujus causa est commotio spirituum & sanguinis calidi, subtilis, promanantis à corde ad os & cætera membra exteriora. Vnde carnem habent mollem, ungues tenues, delectanturque cantionibus, & iis quæ extra se rapiunt ac ponunt animum, faciuntque gestire. Salit enim in illis sanguis, neque sinit aliud agere quam sanguis movet. Vnde neque diu, neque multum irasci possunt, propter innatam temperiem. Neque nocet illis coitus, propter abundantiam humoris spermatici.

De Saturno in nativitate sanguinei malo.

SATURNUS aut rarò, aut nunquam sanguini participat. Cùm frigidus sit atque siccus Saturnus, sanguis verò calidus & humidus. Plurimum illi in suis effectibus sanguis adversatur, rarò etiam, propter nimiam caliditatem & siccitatem, Iupiter, Venus & Mercurius illi familiares sunt.

De Iove participante cum sanguineo.

INprimis Iupiter cùm dominium susceperit, candidum reddit in corpore, & rubedine quadam faciem resplendescere facit, oculos non omninò nigros, dentes candentes facit, & liberalem, mitem, pium, dilectum hominibus, cogitabundum, prælatum, nobilem, splendidum, spectatū, tacitum, tranquillum, venustum. Est tamen quo in loco positus sit. Nam si in nativitate Orientalis fuerit, vincit in eo humiditas. Sin verò occiduus, formosiorem reddit & decorum nimis. Mars tametsi perrarò illi jungitur, junctus tamen addit audaciam, non eam qua temerè abuntur Martiales, sed circumspectam & prudentem, qua

cum maxima tractabat, atque prostituet posteris suum nomen factis suis egregiis& celeberrimis, maximè in persecutione malignantium & impiorum hominum. Ita si Venerem habeat secum, decorem decori, virtutem virtuti, venustatem venustati, prudentiam addit prudentiæ, quin & totum quod boni ab Ioye præstitum est, polit, ornat, vænum exponit, ut magis ac magis placeat, denique ut nihil sit rerum omnium quod illi non donatum videatur.

De Mercurio in radice nativitatis sanguineorum.

NON minus Mercurius alioqui indifferens, cum Ioye tamen doctum facit, facundum, disertum, præconem, consultorem, acri judicio, studiosum, disciplinarum amatorem.

CONCLVSIO.

Hæc atque alia tametsi dicta fortasse prius sint in Astrologia naturali, non tamen eo modo, neque in eum finem. Est autem finis (ut diximus) hujusmodi, ut præsciti alicujus complexione, ex hominis etiam gestibus ac moribus discamus, quem in horoscopo vel bono, vel malo loco planetam habeat, & ex agnitione planetæ, deinde omnes illius conditiones alias divinari possimus. Non igitur medicorum hîc scripta damnamus, quæ circa complexiones scripserunt, sed hæc velut jam firmata præsupponimus, jacto fundamento superstruentes ædificium. Legant qui velint, qui non volunt, despiciant. Id enim anteà sciebamus, ut qui ædificium vellet construere publicum ab omnibus opus illius incesseretur.

GUILIEL-

GUILIELMI GRATAROLI BERGOMATIS ARTIUM ET MEDICINÆ DOCTORIS OPVSCVLA, VIdelicet.

De memoria reparanda, augenda, conservandaque ac de Reminiscentia: tutiora omnimoda remedia, præceptiones optimæ.

De prædictione morum naturarúmque hominum, cum ex inspectione partium corporis, tum alius modis.

De temporum omnimoda mutatione, perpetua & certissima signa & prognostica.

Omnia ab autore correcta, aucta satis, & ultimò edita.

SERENISSIMO AC PIO BOEMIÆ REGI MAXIMILIANO PERPETVAM FELICITATEM à Domino Deo precatur Guilielmus Gratarolus Doctor medicus.

SVPERIORI anno, Rex optime, libellos tres etsi multis antea mensibus elaboratos, citius quàm voluissem emisi in lucem, amicorum ac typographi coactus instantia: cumque me absente, non pauca inter cudendum errata fuissent commissa, arrepto rursus libro non tantum menda

correxi, sed primariam ac omnem ferè adhibens operam, extremamque (ut vocant) manum, adeò rebus & bonis, & his non paucis auxi, ut veluti nonimensis partus septimestri, aut purum aurum argento, ita editio hæc priori præstat. Dedicaveram priorem Anglorum regi, qui antequam rescire, nedum videre potuerit, vitam cum morte coactus est commutare. Quærendus igitur mihi erat patronus alter, sub cujus angustiori nomine rursus exiret liber nitentior factus. cumque animi oculos huc illuc non parum volutasse, tua Majestas mihi tandem magis arrisit cùm non nullis de causis, quas in præsentiarum omitto, tum quia inter cæteros principes ac Reges, non tantum apud potentes Germanos, & Hispanos, sed etiam Italos (è quibus unus sum) bene audiat tua optimæ spei Majestas: faxitque omnipotens Deus, ut indies, quoad fieri justè potest, unà cum nomine crescat & res. Huc accedit quod etiam intellexerim, ornatissimam apud T. M. perstrui bibliothecam tali Rege non indignam, in qua, spero, non postremam partem obtinebit liber meus, qui priore sui parte mirum in modum eos juvabit, qui ex ea vel quacunque alia librorum supellectile proficere in ediscendo voluerint: eorum namque libellorum unus est De Memoria recuperanda conservandaque: secundus De Physiognomia: tertius prognostica perpetua certaque continet. Cæterum cum sapientis & philosophi proprium sit, rationem & causam sui operis reddere, dicam brevissime, quid me potissimum ad hæc moverit. In tanta librorum ac discentium copia, videbar mihi, ita movente Deo, rem studiosis non inutilem me facturum, si de Memoria (etsi argumenti talis plura bona aliàs extent opuscula) succincte præcepta & selectissima remedia indicarem: quam si quis justis præconiis ornare velit, multas opplebit chartas, actumque aget. quis enim est qui nesciat Memoriam, universorum sensuum communem fore arcem? siquidem quicquid vel oculis conspicimus, vel auribus haurimus, aut denique ipsa mente concipimus, usui ac medi-

meditationi servat: de qua Seneca in præfatione libri Declamationum: Memoria, inquit, est res ex omnibus partibus animi maximè delicata & fragilis: in quam primum senectus incurrit, &c. De physiognomia itidem non est quòd multa præfari velim: nam si concesserimus (ut concedere par est) sapientissimum Deum nõ ab re corporum atque hominum varietatem fecisse, dubio procul fatebimur, hanc dijudicandi facultatem probe tractatam, & utilem admodum & bonam esse. Cùm enim sine ullius rei adminiculo solus Deus in corde videat, homo tantum in facie & ab extrinsecus intrinsecus cognoscit. Quis cordatus princeps servum in familiam accersat, nisi antè solerti examine ex facie mentis nota, ex oculis animæ fenestris, & ex omni denique corporis situ & specie naturam illius rimetur atque exploret, num frugi & rei familiari usui futurus sit? Proditum est memoriæ, Pythagoram à principio statim adolescentes prius quàm in disciplinam suam admitterentur, φυσιογνωμονεῖν consuevisse, h. e. indolem ex oris, vultus, totiusque corporis serie atq; habitu scrutatum, num ad philosophandum apti essent: quòd reluctante genio haud feliciter aliquid cedat. Quamvis autem illud interdum præter communem philosophorum fidem & sententiam longè secus evenire cernas, ut è corpore deformi insignes prodeant virtutes, hoc tamen eatenus fieri existimandum est, quatenus animus divini numinis afflatu, philosophiæque adminiculis adjutus, externas omnes virtutique contrarias exuit affectiones, & rebus honestis invigilat: ut Socratis inter cæteros exemplo notum est. Illorumque opiniones explodendæ sunt, qui cæco quodam judicio vanam physiognomiæ artem censent, quæ jam à priscis illis statim temporibus ad hanc nostram usque ætatem longissimis observationibus, multorum usu, variisque eventibus comprobata, ex certis & peculiaribus corporis humani indiciis naturam investigandam tradidit. Et quamvis non parimodo mortales affectus & detegant & aperiant. nemo tamen ad harum alteram partium tam cautè inclinat animum, quin

tempore procedente deprehendi queat, sive is secunda elevetur sorte, sive egestate prematur. id enim quod casu fit, sive virtutis, sive vitii speciem gerat, ordinem minime statuit: sed qua in parte mens affixa maneat speculandum est, indeque actiones nominandæ sunt. Tertium De perpetuis prognosticis adjeci, cùm viderem quotannis incertas prædictiones fallacesque (causa equidem difficillimæ astrorum scientiæ, ac humani ingenii caritate atque audacia) invulgari, volens nimirum ex iis quæ sub sensibus cadunt, ostendere longe certiorem esse prædictionem. Non novas artes scientiasve propterea me allaturū nunc polliceor, verùm earum quæ à clarissimis viris inventæ sunt, partem utiliorem aliquam dilucidare ac facilem reddere augereque nitimur. Neque illud à me expectetur in his opusculis, quòd varios adducam sæpius autores, cùm nullam ferè autoritatem expostulem, præterquam experientia ipsa exhibebit. Quod ad stilum spectat, usus sum (id postulante operis materia) non latinissimis verbis & abstrusis, sed perspicuitate qua potui, id est, vocabulis plurimum usitatis, servata illorum significatione. Nunc sereniſſime Rex luculentius meæ erga T. M. observantiæ symbolum dare non potui: neque ego, ut moris est, partem aliquam tuarum laudum attingam, quòd nec idoneus sim tanto muneri, nec hactenus defuerint aut defuturi sint doctissimi viri, qui hoc munus obeant. Quamvis, utpote qui bonorum principum exemplum jam esse inceperis, humanis laudibus non egeas, satis ex re ipsa commendatus. Me verò tuæ Majestati humillimè commendo ac dedo: quis sim, si non alii ob locorum distantiam, facilè poterit judicare sereniſſimæ Reginæ conjugis tuæ medicus excellens ac perspicax Iosephus Salandus, qui me jam diu familiarissimè novit. Christus Deus optimus maximus M. T. quàm diutissimè incolumem ac florentem suis donis augeat ac servet. Basileæ Calendis Febr.

M. D. LIIII

PRI-

PRIMUS LIBER DE MEMORIA ET REMINISCENTIA

dividetur in capita septem.

Primum caput declarat quid sit Memoria, ubi vigeat, quàm utilis & necessaria sit. &c.

Secundum potissimas quibus lædatur causas, earumque notas continet & curationem.

Tertium quomodocunque memoriæ nocentia præcipua ostendit.

Quartum similiter juvantia particularia enumerat.

Quintum nonnulla probatiora selectioraque medica remedia composita continet, servantia multumque augentia memoriam.

Sextum philosophica consilia, canones, & præcepta reminiscentiæ narrabit.

Septimum caput brevi sermone de locali vel artificiosa memoria agit.

Dictorum brevis epilogus ultimò ponitur.

CAPUT PRIMUM.

MEMORIA est per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Vel, est firma animi rerum & verborum dispositionis perceptio Aut (ut Aristoteles opinatur) imaginatio est, quæ ab his quæ sensus deprehenderat, remanet Platonis autem sententia. Memoria est sensus & incolumitas: nam anima sensuum officio adipiscitur quæcunque sub sensum cadunt, indeque opinionis origo est. Sed per mentem ipsam intellectualia animadvertit, & intelligentia fit. At memoria amissa per reminiscentiam denuo resumitur: nam cum oblivio sive memoriæ amissio duplex sit, perpetua videlicet & temporanea, in hac quidem reminiscentia agit, de qua interius suo loco dicetur. Sedem vero habet memoria in occipitio in tertio vocato ventriculo, quem & puppim vocant. Longum esset ac penè superfluum hic (ubi studeo brevitati) cerebri totius anatomē describere, quam in multorum libris videre licet, præsertim doctissimi pariter & diligentissimi Andreæ Vesalii. Dicam tamen aliquid brevissime ad rem nostrā propius faciens. Tres animæ operationes sunt in cerebro, phantasia, ratiocinatio, & memoria. Primæ duæ in duobus ventriculis cerebri majoribus, tertia in tertio & minori exercetur. Inter cerebri cava animalis spiritus tenuis, purus, mundissimusq; versatur, atque talis defertur memoriæ: quæ quidem claritate & subtilitate spiritus indiget. Quod si non aperiatur via illa, qua trāsit spiritus ad puppim cerebri, nihil homo reminiscitur: & contrà qui velocem habent hujusce viæ aperitionem, prudentes sunt, & velociter respondent. ut sunt quidam cholerici: qui verò pigrā illam & tardam habent, pigri sunt & tardi ad discendum atque respondendum, suntq; tales ut plurimū phlegmatici vel melancholici, crassisq; ac multis cibis ac potibus utentes. Rari quidem reperiuntur, qui felici ingenio, & fœcunda memoria dotati, à natura sint, siquidē ingenium subtilem & mollem cerebri

cerebri substantiam, memoria permanentem indicat. Dicit quoque Galenus capite duodecimo Artis medicinalis, ingenium quidem subtilem cerebri substantiam indicat: tarditas verò intellectus crassam, &c. Huic functioni deserviens spiritus, à corde per arterias ad caput subvolat, & exterius nos cingente aere alitur, diuturnitatemq; consequitur. Et denique, conveniunt physici omnes, Memoriam potissimum pollere ex bona temperatura organi sedisve, in qua hanc functionē anima exercet. Sciendumq; quod sapere fit ex spirituum bonitate: boni verò spiritus sunt qui claritate ac motu temperati sunt & subtilitate. Plato in Theæteto: Non rectè, inquit, anima se habet in denso, aut lutulento, aut molli nimis, aut duro. Intemperies autem multifariam contingit: nam ex utero quis tam validam nonnunquam contrahit, ut non solum memoria, sed & ratio lædatur, atque ita stultitia fiat: cujus inter cætera signa, ut habet Aristoteles primo de animalium natura, sunt prægrandes & erectæ aures. Ex pravo item victu frequens est cerebri intemperatura, quandoque ex insalubri ambientis aeris constitutione: nam vetus est dictum, ubi sit siccior aer, ibi ferè etiam animam prudentiorem mēlioremque seu promptiorem: ut etiam habet Galenus in libro Quod animi mores, &c. Quin etiam ex casu, ex percussione, ex morbo & aliis id genus injuriis labefactatur, quorum exempla varia & ex Thucydide & ex aliis haberi possunt: quidam ictus lapide, oblitus est tantum literas, ex prælto tecto lapsus, matris, affinium & propinquorum cepit oblivionem: sui verò nominis oblitus est Messala Corvinus orator. Ecce igitur quàm fragilis sit omnium precioſissimus hominis thesaurus. Memoria inter humanæ naturæ commoda, teste etiam Seneca, primum sibi locum vendicat: nam multa legere studiosis facilè, multaq; intelligere bono atq; exercitato ingenio non difficile est: verum ea congerere, & in memoriæ scrinio conservare, ita ut non effluant necessarium ac præcipuum est humanæ vitæ bonum. Vt testatur Plinius libro 7. cap. 24. Cyrus Persarum rex omnes suos milites appellabat. Mi-

thridates duarum & viginti gentium rex, totidem linguas absque interprete & audiebat & alloquebatur, nec desunt innumera penè quorumcunque temporum exempla præstantissimæ in hominibus memoriæ. Quibus igitur non est jam excellens memoria, labore ut eam assequantur, opus est, sine qua vix in virum excellentem quisquam emerget: fieri enim solet, ut quantum quisque memoria emineat, tantum eniteat & sapientia, nisi sit somnolentus atque ociosus. Et poetæ non ab re sapientiam memoriæ filiam finxerunt: ac de ipsa rectè scriptum est: Vsus me genuit, mater peperit memoria. Quo igitur pacto ea acquiri augerive possit ac servari, hoc opere differemus. Constat autem cum pluribus doctis, tum verò Ciceroni, memoriam habere quiddam artificii, & non omnem à natura proficisci: Sic igitur & nos prius docebimus quo victus genere, quibusve medicaminibus ea acquiri firmarique possit, brevia, clara, usuque probata ponentes: postea, de artificiosa memoria, quæ observationibus, locis, imaginibusque constat, succinctè agemus.

Caput secundum præcipuas quibus lædatur causas, earumq; notas & curationem continet.

DVÆ sunt causæ principales quæ obsunt memoriæ, frigiditas & humiditas: quæ frigiditas vel sola est vel cum humiditate conjuncta: omittemus corruptionem, quæ fit à calido & sicco intensis, plus tamen nocet frigiditas humiditate: ea siquidem confundit naturam neque ejus opus ingreditur nisi tanquam subdominans instrumentum. Humiditas verò retentivæ contrariatur, quæ sicco proportionatò confortatur: nam siccitas superflua nocet præsertim apprehensioni, dum impedit ne insigillentur formæ. Frigidi est sistere, & calidi movere: ergo frigiditas impedit motum necessarium ad memorandum. Retentionem verò impedit humiditas. Deniq; cum frigiditatis filia sit oblivio, ut & Paulus Aegineta, & reliqui tenent, dicendum ac tenendum est, eam magis obesse memoriæ, quàm noceat humiditas. Propter frigi-

frigiditatem enim quæ humores & spiritus congelavit, spectrum seu species imprimi non potest. Quorum igitur memoria vel intellectus perit, somnos etiam observare oportet, utrum vehementer an modice somnolenti sint, aut omnino non somnolenti, sed secundum naturam habeant. Sic enim vincentem invenies intemperaturam: nam ex multo ac profundo somno, humiditatem obesse: ex vigilia, siccitatem: & ex horum medio æqualitatem & bonam humorum proportionem cognosces. Adhæc considerandum, utrum excernat quippiam ex naribus vel ex ore quod à capite defluat, an aridæ ex toto vel ut plurimum hujusmodi partes sint. atque antecedentium causarum & externarum cognitio capitis dispositionem declarabit, quò idoneam dispositioni curationem adhibere possis. Vbi dominatur cerebri humiditas, multa somni cupiditate tenentur, oris plurima est saliva, & in naribus oculisque pituita frequens: omnes motus hebetes sunt. Tales præsentia recordantur & nuperrimè gesta: dudum verò facta, aut nequaquam aut difficilè recordantur: nam humiditatis cerebri est facile admittere & dimittere quaslibet impressiones.

Siccitate dominante, quæ humiditati contraria est, ex contrariis signis indicatur: adsunt enim capitis vigiliæ, levitates, & rarissima illarum superfluitatum emanatio, quæ à naso, palato, & oculis expelli solet: oculi sunt cavi: citò calvi fiunt: aurium tum abundabit cerumen. Quantum verò ad memoriam spectat, præsentia difficilius inscribuntur, & inscripta diutius tenentur: inde fit, ut quæ antea gesta sint, facilius memorentur & reddantur, quàm quæ nuperrimè geruntur. Exemplo sint senes, qui gesta ab ineunte ætate recitant ordinatim, præsentia verò non recordantur aut confundunt. Hoc etiam contingit senibus: quia ex frequentatis actibus fit habitus: hinc fit ut decrepiti bene recordentur antiqua, quoniam sæpius circa illa vel illis similia consideraverunt: male autem nova, quòd illis impressio non facilè fiat ob duriciem sensorii.

Si

Si dominatur frigiditas, his facies albet, lumina languent, venæ inconspicabiles fiunt, somnolenti sunt, partes ad caput attinentes parum calidæ erunt, nec rubicundæ: mens erit stupida, vertigineque gravarum caput, & tardæ rememorationis. Hæc qualitas, ut prædiximus, valde officit, & animi facultates imminuit, inertesque efficit: nam ut calidi est movere, ita frigidi econtrario facere: scias tamen in universum, viventis cerebrum calidius esse aere æstivo, ut Galenus habet in De usu partium.

At cùm viget in cerebro caliditas, his notis facile innotescet: nam quæ circa caput sunt, calida magis ac rubicunda sentiuntur: oculos cernes versatiles, eorumque venas magis apparentes: Capilli in lucem editis statim oriuntur, nigri, robusti, crispique fiunt: brevibus somnis nec profundis contenti sunt: motuum velocitas & recordationis inest. Si verò auctior sit & facta innaturalis caliditas, vigiles erunt. Hic nimius calor animales spiritus excoquit, in fumosq; ac fuligines diripit, & siccos generandis spiritibus aptos torrefacit. Qua de re felici vel tuta memoria destituuntur.

Si verò duæ qualitates adjungantur, signa earum tanta proportione cognosces, quanta istæ qualitates aut intendentur, aut remittentur: nec difficile fuerit judicium ex præmissis, ut si fuerit caliditas & siccitas extra temperiem, aderit permixtio sensus, vel phrenitis juxta intensiorem gradum qualitatum.

Quo ad curandi rationem, victus primo pro causarum varietate mutatur, ut infra dicemus. Annotandum verò prius est, oblivionem à natura reportatam, non facilè removeri posse, nec quæ à causa calida & sicca fuerit, sano in cæteris corpore. Hoc etiam interdum evenit, ut præter consuetudinem sit diminuta vel abolita memoria: tunc timendum est de pejori ægritudine, nisi ocyus succurratur, scilicet Lethargia, Epilepsia, Apoplexia, Paralysi, cæterisque id genus quæ à phlegmate in cerebro fieri solent, pro quibus ad medicos confugias. Si etiam ob extremam senectam memoria perierit, frustra laborandum admovendis scilicet remediis, non est: sed tantum conveniente victus ratione contentos esse oportet, denturque cibaria & linctuaria humectantia & restaurantia siccitatemque arcentia.

Si propter vehementes purgationes cæterasque immodicas inanitiones, vel à siccitate, memoriæ noxa superveniret, victu tantum reficiente succurrere oportet, corroboraro siquidem corpore, collectisque, memoria reparatur. Cibi conferent igitur succulenti & boni succi, qui facile concoquantur in ventriculo: vinum sit rubrum, maturum, dilutum: exercitia moderata & citra fatigationem: caput clementer fricetur: prolixe dormiant: molliter cubent: tepidæ aquæ balneis utantur: sudationes vitent: capiti abraso epithemata infundantur, vel fomentationes, ex decocto florum chamæmeli, melliloti, seminis lini, ordei decorticati: aut ex lacte recens mulcto: inungatur oleo susino, amigdalino, dialtea, butyro non salito. Sumant conservam boraginis, bugloss, cortices citrei conditas, & similia.

Si à frigida cerebri intemperie sola sine materia malum ortum fuerit, opponatur caliditas frigiditati, & pariter humiditati siccitas, cum temperamento tamen: in caliditate enim & siccitate naturali omnis æqualitatis debet esse proportio, ut ne quid nimis. non enim omnis caliditas bonam memoriam facit, nec omnis siccitas: sed quæ proportione respondet temperamento, nec fluat in intemperiem immoderatam, cujus vis est actum propriæ virtutis tollere. Cavendum est ergo ne nimis cerebrum calefaciamus, aut exsiccemus nimis. Et qui temperato est capite, caveat ne medelas apponat. Qui igitur corruptionem memoriæ patiuntur ex immenso calido & sicco, quâ conjunctionem plerunque phrenitides & deliria sequuntur, iis oxyrhodinum capiti infundatur, & curatio reliqua cum his quæ refrigerant & humectant, pulchrè complebitur. Quod si ex nimia frigiditate adnixa intensæ siccitati fuerit, quod accidere consuevit aut propter longos morbos, aut vehementes corporis labores, aut acres valde ani-

de animi affectiones, quibus naturæ vires fatiscunt, & animales spiritus dissipantur, humectantia & mediocriter calefaciendi simul vim habentia, haud mediocri erunt præsidio.

Cùm autem non solæ ac nudæ qualitates offensioni erunt, sed adfuerit simul humorum copia, ab evacuatione incipiemus præmittendo concoctionem convenientem, si opus erit. Sanguinis copia venę postulat sectionem, quę cum medici docti consilio fiat. incidatur autem humeraria, quam cephalicam vocant, si caput solum degravatur: si corpus totum, aut interna, aut media. Si bilis flava abundaverit, consulto medico, cum educentibus bilem purgetur, ut cum rhabarbaro, manna, casia, succo rosarum, electuario rosato: syrupo rosato solutivo: tamarindis, vel aureis vocatis pilulis, & similibus. Si atra bilis, præsidiis itidem convenientibus à peritis medicis traditis, educatur, ut senæ infusione, epithimi, veratri in tortioribus: dyasene, pilulis indis, &c.

Quòd si fuerit causa quæ penè semper contingit, frigida & humida, hi modi in curando servetur: Et primo quo ad victũ, morâm trahat quantum poterit, in aere luminoso non ventoso, nam venti plurimum obsunt. Evitent quę phlegma multiplicant, omniaque frigida, similiter & vaporosa, ut cepe, & super omnia repletio & sacietas aut cruditas, multus potus, multa fructuũ comestio vitetur, cibi gravis concoctionis, ablutio cum nimis calida vel frigida aqua, potatio ejus nimia vel vini. Conferet igitur cibi bene nutrientes, calidum & spirituosum sanguinem gignentes: vervecina, hædina, capi, phasiani, perdices, quorum ova singulari potestate in hoc pollent, pipiones, turtures, passerculi, galeritæ, turdi, merulæ: parentur cum hyssopo, satureia, thymo, sampsuco, rore marino, garyophyllis, macere, zinzibere, pipere, cinamomo, granis juniperi, præsertim hyeme. Animalia fugiãt nuper edita, quòd mucosam ac viscidam habeant carnem: animantis cerebrum ut pituitosum incommodat, nisi sit gallinæ, quod peculiariter & summè laudatur. Similiter fugiant medullas, gruinas

gruinas carnes, pisces præsertim viscidos & lacunales, olera frigida, lac, caseũ, præcipue multũ, aut pravũ: fructus humidos & horarios: acriora interdum hyeme præsertim, exhibeantur, ut allium, puleium, capparis remota salsedine, sinapi à Pythagora laudatum: parcè epulentur præsertim cœnantes, vinum bibant album, aut vermiculum subrubrumve: aquã nisi sit cum melle vel cinamomo aut alio cum aromate decocta, non gustent. Prolixum somnum diurnumque aversentur, nec super nucham, vel super nimia repletione fiat: à superflua quoq; vigilia caveant: debilitat enim spiritum, ipsumque resolvit ac caput replet. Exercitium fiat deambulando, & cibos præcedat, cum fricatione etiam partium capitis (facta tamen prius convenienti purgatione) cum pannis asperis, & pedum & manuum, sed moderatum: circa lacus, flumina & uliginosa loca non versentur, austrinos flatus & pluviosas constitutiones declinent, lucidam & altam domum inhabitent, caput oleis convenientibus (ut etiam infra dicetur) ungatur. à multo vel frequenti coitu omnibusq; cerebrum debilitantibus caveant: nam principali debilitato nocentur & orta ab eo: corpus servetur mundũ à superfluitatibus. Si igitur pituita lenta ac grassa fuerit, fiet illius attenuatio, & concoctio, & præparatio ad eductionem, cum oxymelle composito vel scyllitico vel de quinque radicibus, de stichade, de raphani radicibus facto, melle rosato prout opus fuerit, & aquis seu decoctis convenientibus. Ad educendã verò præparatam materiam exhibeantur pilulæ vel cochiæ, vel ex hiera Galeni addito medico castorei & nucis myristicæ, addatur etiam præparata colocynthis secundum medici præsentis prudentiam: vel detur hiera magna cum nuce moschata: vel hiera Ruffi, de qua Aetius libro tertio: conveniet etiam yeralogadii, & alia quæ conveniunt dolori capitis ex phlegmate, deinde fiant etiam gargarismata, fomentationes, unctiones, sacculi, & hujusmodi: clystere etiam si opus fuerit fiat ex respicientibus caput: sternutationes fiant, ut cum pipere, struthio, seu condisi, elleboro albo, iride, & similibus

bus. Conferunt præterea si pituita ulterius exundat, quæ salivam movent seu apophlegmatismi, odoramenta: cubebę masticatæ seu commanſæ, modis omnibus auxiliantur: auribus indatur oleum castorei, lavandulæ, spicæ. rursus pro purgatione conferent hæ pilulæ etiam à proprietate: Recipe thuris masculi, mirrhæ electæ, zinziberis ana drach. 1. med. pulveris capitis upupæ drach. duas. aconi scrupulos duos. hieræ majoris drach. 1. med. castorei, colocynthidis ana scrupu. med. confice cum bona terebintina vel cum serapio de stichade, & fiat pasta, denturque pilulæ numero paucæ, sed crassæ supra levem cœnam in lectum descendenti: possunt etiam aufferri ea quæ solvunt, ut tantum confortent: hæ ferunt principatum hac in causa, & præ cæteris conferunt memoriæ. Item ad corroborandum, fiat eclicma vel linctuarium tale, vel simili modum. Rec conservæ anthos, melissophylli, ana unciam unam. enulæ conditæ, zinziberis viridis vel conditi, ana unc. med. corticis citrei conditæ drach. 6. diatrionpipereon, diambaris, ana unc. med. cum modico aquæ vitæ in vasis vitreis semel distillatæ ex vino bono, vel cum aqua melissæ, aut florum lilii convallii: commisce: sumat horis duabus ante cibum in mane drachmam unam aut alteram, & semi drachmam hora somni.

Notandum autem quòd nucha est cerebro frigidior, ideoque calida magis patitur & tolerat, frigida deterius: meminisse igitur oportet, ne frigefacientia quæ forinsecus inducuntur, in occiput cadant. Calefactoria itaq; medicamenta tàm extra quam intra corpus adhibenda. Extrinsecus autē junctiones capiti ex oleo calido, idq; æstate adhibendæ, ut rutaceo, anetino &c. hyeme verò irinum in quo incoctum sit serpillum vel calamentum, piper, baccæ lauri, addendo aceti modicum ad penetrationem. Vtile erit & castoreum cum oleo illitum occipitio: vel tale unguentum: Rec. olei de lateribus, de castoreo ana unc. med radicis acori, phu seu Valerianæ, ana scrup. 1. pyretri, rutæ ana scrup. med. cum cera quantum sufficiat. fiat unguentum, quo rasum occipitium inungatur: & subinde sca-

de sacculus imponatur, qui recipit florum rosmarini, melissophylli, lavandulæ, singulorum manipulum med. florum sambuci manip. unum, stichadis drach. 3. nucis moschatæ, ligni aloes, maceris ana scrup. 1. contusa in sericum demittantur formeturque sacculus.

Linimentum aliud conferens diminutioni memoriæ & oblivioni: Recipe olei sambucini unc. unam, olei de been. unc. duas, olei euforbii, castorei ana un. med. aceti drach. 3. misce, inungaturque locus. Item oleum philosophorum vocatum à Mesue, occipitio inuncto, memoriam mirabiliter reparat.

Alia inunctio. Recipe radicis rutæ, buglossi, phu cum radicibus ana unc. 4. castorei duorum vel trium annorum, avis quam semen fraxini vocant, ana drac. duas: rediguntur in pulverem & misceantur: post Rec succi eufragiæ, ormini quam sclaream vocant, verbenæ ana unc. 4. medullæ ana cardi unciam unam, axungiæ ursi, quantum satis sit, fiat unguentum liquidum, & ponatur in vase cupri vel stanni, ut stet liquidum, nam aliter haud valeret, ungaturque occiput.

Emplastrum quoque de sinapi Mesue secunda descriptione Antidotarii valebit in affectu frigidiori: vel oleum de sinapi. Superiora conferunt etiam absque prævia purgatione, ut & sequentia, his qui frigiditate sola absque notabili humiditate laborant. Intrinsecus quoque præter suprà narrata conferunt, verus acorus conditus (quem calamum aromaticum credo, vel galangam) saccharum, florum betonicæ, roris marini, lavandulæ, spicæ nardi, melissophylli, adjectis longo pipere, garyophillis, cinnamo, nuce moschata, & id genus aliis odoratis. Valde etiam juvat zinziber conditum ad avellanæ quantitatem, præsertim in ventriculo frigido & humido, uti ferè est in omnibus vel pluribus tali causa & affectu laborantibus: nam reparat memoriam sumptum mane in temporibus non calidis, horis quatuor ante cibum.

Confert non parum & hoc: Rec. thuris, cyperi, piperis longi, croci, mirrhæ, ana, confice cum melle, & ex eo omni

die sumatur drachma una horis supradictis præsertim mane.

Aliud ad idem præcipue senibus valens. Rec. mellis anacardini, thuris albi, cyperi, acori veri ana partes duas, rotundi piperis & longi ana partem unam, myrobalanorum cepulorum, cæruleorum ana partes duas, cymini partem unam, mellis quantum sufficit. datio sit drach. 2. singulo mane. diambar etiam convenit.

Prodest & confectio anacardina si probe conficiatur, a post sex menses ea utaris: hæc enim acuit ingenium & sensum & intellectum clarificat, mentem revocat sopitam, lethargiam curat & artheticos: confertque dolori ventriculi & alvi à frigiditate, &c. sic verò fit: Recipe myrobalanorum empeliticorum, belezicorum, piperis albi & longi ana drachmas duodecim, zingiberis, mellis anacardici ana unc. una, castorei, styracis, garyophyllorũ, ana drach. quinque, florũ camameli, baccarũ lauri, cyperi ana drach. tres, mellis quantum sufficit, misce in modũ electuarii. Datur in sero admodũ parvæ nucis sive avellanæ, id est drachm. I. ℈ cum vino calido decoctionis seminũ anisi & feniculi. potest & mane sumi. Caveat verò sumens à frigiditate, à cibis phlegmaticis, ab ira, coitu & ebrietate. Anacardi autem antequam in aliquibus medicinis ponantur compositis, debent in hunc qui sequitur modum præparari.

Rec. anacardos ac eos tere optime in mortario, atque in aceto fortissimo ponantur per dies septem, pòst lento igne in eodem aceto coquantur, quoad aceti pars tertia remaneat: tum percola fecem illam quæ in fundo vasis remanserit, prius aceto leviter extra colato, eamque colo transmissam fecem, in medicinis pone: neque enim anacardorum fructus medicinis per os assumendis immiscentur, nisi prius hoc modo vel simili præparentur.

Quod si mel anacardinum facere volueris, pone cum ipsis anacardis eo modo in aceto coctis, tantundem mellis despumati ac simul ambo bulliant ad spissitudinẽ, & mel habebis anacardinum, quod in prænarratis affectibus operatur mirabiliter, si ex eo des drachmas duas in aurora.

In

In Sicilia dum recentes sunt anacardi ponuntur in melle prius liquefacto, & diu morantur in eo, taleque vocatur mel anacardinum, & habetur usui absque anacardis, & inditur linctuariis. Si eo ex melle dentur drachmæ duæ, recuperat memoriam ex proprietate sua.

Expertus est & acorus nutritus ac coctus in mille & reservatus, ut condiuntur nuces ac radices: similiter piper longum nutritum coctumque in melle & aservatum, nam servant & augent memoriam: dosis communis drach. 1.

Aliud expertum in forma pulveris Recipe thuris drach. unam, cyperi, piperis, croci, myrrhæ ana drachm. duas: terantur subtiliter, & per cribrum ducito, & fiat pulvis, de quo omni mane dum surgit detur drach. 1. vel serò in ingressu lecti.

Aliud expertum. Recipe cimini, piperis ana drach. duas, sacchari albi drach. tres: terantur & fiat pulvis, cape drach. unam omni die mane. Aliud itidem expertum. Recipe thuris albi drac unam, piperis longi vel albi serup. unum, fiat pulvis, qui mane totus pro una dationebitur per plures auroras cum unciis tribus aquæ mellis, vel decocti cinamomi modici & garyophyllorum.

Aliud æquè bonum ac certum. Recipe cimini drachm. quinque, piperis novi drac. unam, acori veri vel galangæ, cyperi, mirobalanorum nigrorum ana drach. duas, mellis anacardi (de quo supra) drach. unam, mellis communis unc. 3. s. terenda terantur, & cum melle prius despumato incorporentur, & fiat conditum in pixide. datio in omni mane drach. 2.

Caput tertium, quomodocunque nocentia memoriæ præcipua ostendit.

CAvere oportet in universum cruditates, tanquam rationi infestissimas, & toti corpori.

Plurima vini præsertim potentis potio pessima est: vehementer enim humectat caput, ac ferè nihil æquè oblivionem inducit, quàm superflua humiditas.

Exterior excedens frigiditas lædit memoriam, præcipuè nocturna propter malam capitis cooperturam.

Caliditas intensa valde quandoque perturbat rationem & memoriam lædit.

Ciborum fumosorum comestio & potus, ut alliorum, porrorum, ceparum, item casei & leguminum vitetur.

Potus post comestionem dum cibi fit concoctio eam interrumpens præsertim à cœna, memoriæ cerebroque valde nocet.

Quies superflua calorem debilitat: superfluitates retinet & aggravat, ideoque lædit memoriam.

Somnus cibo propinquo, antequam scilicet descenderit cibus ad ventriculi fundum, infestissimus.

Dormire calciatis pedibus, præcipue cum sotularibus, memoriam impedit, ob vaporum reflexum.

Crudæ herbæ comestæ, multum nocent memoriæ: ut plurimum, videre vel audire non placentia animo: & hujuscemodi animi symptomata.

Metus perimit memoriam, vel tristitia perseverans.

Somnus immoderatus, & vomitus laboriosus, & frequens coitus.

Acetum & acetosa omnia. Sunt qui dicant gallorum ossa exucta, veternum adducere.

Caput quartum, juvantia particularia præcipua enumerat.

FRuctuum stipticorum ex natura vel arte post comestionem moderata sumptio, prohibendo fumos elevari, memoriam juvat valde.

Temperatorum ciborum & potus, sicut gallinarum & perdicum præcipue cerebellorum eorum temperata refectio,

ctio, non tantum memoriam, sed & totum corpus confortat.

Ante cibum moderatè & convenienter exerceri, non tantum memoriæ, sed & cæteris functionibus prodest.

Superfluitatum per intestina, per nares, per palatum, per os, aures, per urinam, per capitis frictionem cum pectine conveniens & debita expulsio, confert plurimum virtuti memorativæ, si post somnum & ante exercitium fiat.

Visorum auditorumve frequens recordatio, memoriam corroborat & confirmat: nam nihil æquè aut cura augetur, aut negligentia intercidit, ac ipsa memoria: quia nisi excolas & jugi meditatione exerceas, inertia situque corrumpitur.

Gaudium temperatum & honesta delectatio non solum memoriam, sed virtutem intellectivam cæterasque virtutes corporis etiam augmentat.

Sæpe lavare pedes in aqua calida, in qua bullierint melissophyllon, folia lauri, chamæmelon, & similia, memoriæ, capiti, oculisque valde confert.

Abluere caput decimo quoque die cum lixivio in quo parum bullierint chamæmelon vel aflatum, melissophyllon, salvia, amaracus, sive sampsucus, lauri folia, vel similia, additis in æstate rosis, memoriam corroborat & confirmat, ut in capite etiam sequenti latius dicetur.

Stare pedes post comestionem, vel suaviter deambulare, quo cibus ad fundum descendat ventriculi, multum expedit & confert, ob bonam ciborum concoctionem.

Coriandri bene præparati & saccharo inducti post cibum assumptio, prohibendo fumos ad caput ascendere, memoriam juvat: id præstat & Diacotoneon.

Masticatio masticis cum modico zingibere facta jejuno stomacho, ab humiditate phlegmatica sine molestia caput purgat, indeque præpedita confortatur memoria.

Recipe thus albissimum, tere in pulverem, pone in pura & simplici frigida aqua, bibe in augmento lunæ in ortu diei, in meridie, & solis occasu, facit bonam memoriam,

acutum sensum, exsiccans cerebrum & ventriculum.

Tradit Simeon Sethi, fel perdicis arteriis temporum illitum, ut penetret, semel in mense, ad memoriam confirmandam prodesse plurimum.

Melissophyllon confirmat eam, & ingenium acuit, hominemque quocunque modo comedatur herba facit industrium: quod etiam nasturtium in frigidioribus & segnioribus efficere potest, unde natum est in segnem adagium, Ede nasturtium Melissa præter hæc, animi tranquillitatem præstat soporem capiti jucundum in ducendo.

Gallinæ cerebrum ingenium & memoriam juvat, adeò ut aliquos qui delirare cœperant, resipiscere fecerit.

Semen ormini seu schlareæ domesticæ fertur ad recuperandam memoriam mirabile, si in pulvere sumatur cum aliquo potu, aut cibo. Item eboris limatura conducit oblivioni, si parum de ea in vino modico sumitur mane.

Item granum unum thuris albi cum lectum petis, maxime conducit solum transglutitum: nam capitis humidatem exsiccat & ventriculi, ac ita memoriæ confort. facito hoc post purgationem bis terve in hebdomada, si multa adsit humiditas.

Pleresarchoticum confectio, duarum drachmarum pondere hora somni assumpta, vel myrobalanus cepulus conditus sumptus in aurora horis quatuor ante cibum benequè mansus semel in hebdomada, memoriam restaurant ab humido læsam præsertim. nam roborant intellectum & juventutem ferè conservant myrobalani cepuli conditi. ita passulæ, &c.

Memineris in materia humida prius fieri evacuationes. nam materia humida plerunque est debilitatis memoriæ causa, ut superius dictum est,

Capvt

Caput quintum, nonnulla probatiora selectaq; medica remedia composita servantia continet, multumq; augentia memoriam.

ANTIDOTUM mirabiliter conferens memoriæ, lethargiæque vel oblivioni: ventriculum confortat, & omnia debilitata membra ex phlegmate & frigore.

Recipe zingiberis, galangæ, masticis, cimini, origani ana drach. sex, nucis moschatæ, calami aromatici, assari, carpesiorum, id est, cubebarum, ligni aloes, maceris, seminis apii, ammeos ana drac. 2. thuris albi, garyophyllorum, cardamomi, zedoariæ, piretri, castorei, piperis longi & nigri, costi, cyperi, ana drach. tres, mentæ siccæ unc. med. terantur & pulverizentur omnia, ac cum penidiarum & mellis despumati quantitate sufficienti fiat eclicma. Cujus modus usus ut reliquorum sit, præsertim tempore frigido vel non calido multum, & per intervalla.

Pilulæ quæ languenti cerebro conveniunt, præsertim senioribus ac frigidis. Rec. succini odorati seu ambræ delectæ drach. unam, ligni aloes scrup. s. cubebarum scrup. duos: cum vino meracissimo pilulas confice quindecim, da binas ante cœnam.

Pomum odorandum pro memoria: Rec. radicum iridis drac. 1. med. seminis seseli, id est, sileris montani, stichadis ana drach duas, nucis moschatæ drachm. med. mentæ drach unam, ambari (vulgo ambræ) thuris, calamenti, styracis, ligni aloes ana drach. med. ladani quantum sufficit, fiat pomum secundum artem.

Probatissimum experimentum ad ingenium & memoriam, quod ferūt esse Aristotelis. Re ursi pinguedinē quam habet in humero seu spatula dextra, eamq; repone in vesica ipsius ursi simul cum ejus urina, & simul stent octo diebus: tum extrahe, & accipe succum ormini sive schlareæ domesticæ, eufragiæ, berbenæ, buglossi, phu seu Valerianæ, aloes, omnium æqualiter, & simul misce cum prædicta pinguedine super ignē cum lignea spatula agitando, quoad fiat unguentum spissum, ex quo cum volueris accipe

quantitatem parvæ fabæ & unge frontem & tempora fricando aliquantisper, & audita recordaberis.

Lixivium pro ablutione capitis humidi frigidique confortativum & memoriæ conferens, debet autem esse ex cinere sarmentorum vel quercus, postea intus hæc bulliant. Rec acori veri, stichadis, foliorum lauri, roris marini, ivæ, salviæ, ana manip. unum ex isto lavato caput: post verò ablutionem aquæ vitæ modicè sinciput madefacito, & sequenti pulvere aspergito. Rec. pulegii, calamenti, garyophyllorum, sandaracæ, macis, stichados, mentæ siccæ, majoranæ, ana drach. quinque, misce & fiat pulvis subtilis, & post insperſionem superpone stupam canabis. aliis quoque diebus ingrediens lectum pone super capitis bregmate ex pulvere illo etiam illoto capite, nam siccat, &c.

Aliud lixivium ad confortandum caput & memoriam. Rec. hederam muralem, rosmarinum, laurum, stichadem, marrubium aut betonicam, & bulliant in lixivio, quo caput lava. Idem ferè operantur cupressi nuces, frequenti usu.

Aliud in humido capite, quo bis vel semel in hebdomade utendum. Rec. senæ, rosarum, florum chamæmeli, acori, stichadis, foliorum lauri, nucum cipressi, salviæ ivæ, baccarum hederæ partes æquales, hæc in hyeme bulliant in lixivio pro lotione capitis, at in æstate remove stichadem, & rosas adde, ac aliqua myrti grana, & minus calido utere.

Optimum remedium aliud, sed longe difficilius paratu. Rec. florum citrullorum siccorum buglossi, rorismarini ana drach. duas, chamæmeli, violarum, rosarum ana drach. 1. med. seseli drach. duas, seminis viticis, rutæ campestris ana scrup. 4. foliorum lauri viridium, majoranæ, stichadis, salviæ, florum sambuci. artimisiæ ana drach. tres contundantur optime & infundantur in lib. 3. aquæ vitæ optimæ, & unc. 6. aceti albi scyllitici fortissimi, ac simul quiescant duobus diebus in vase vitreo bene cooperto, & postea destilla ad cineres cum suavi igne: deinde Rec. olei de te-

de terebintina destillati optimi unc. octodecim, olei de been destillati unc. octo, prædictæ aquæ destillatæ unc. vigintiquatuor, loco olei de been potes accipere olei destillati de adipe ursino, sed melius si de utroq; acceperis partem mediam: si verò neutrum repereris, recipe oleū sambucinum: adde prædictis rebus capillos hominis bene adustos, nam a Proprietate evigilare faciunt, & excitant lethargicos: misceantur & destillentur in vase vitreo usque ad extractionem totius aquæ, & aquam ipsam seorsum serva: deinde recipe euforbii drach. quatuor, piperis longi drach. 3. med. cumini drach. tres, thuris masculi clari unc. duas, & drach. duas, masticis, myrrhæ electæ ana unc. unam, anacardorum bene contusorum unc. 1. drach. 2. carpobalsami drach. quatuor, pulpæ castorei drach med. myrobalanorum empeliticorum drach. 4. med. opopanacis unc. tres, serici crudi minutimque incisi drach. 1. med. costi, radicum pæoniæ fœminæ, cyperi electi ana scrup. quatuor, ladani drachmas tres, sanguinis draconis, id est, gummi ita ob similitudinem dicti drac. 2. med. bdellii clari drach. 6. pulverizanda pulverizentur optime, & omnia infundantur in prædicto oleo toto, & sic quiescant in balneo temperato, simul in vase vitreo bene obturato diebus quinque, sed singulo die arundine sicca commoveantur miscendo, postea colentur, & optime exprimantur cum panno rudi prius infuso in aqua & bene expresso: Et oleum postea taliter expressum destilletur, vel fiat sicut in destillatione olei de ladano fit: videlicet, primò incipe cum igne carbonum levi ad fornacem, donec leviter ebulliendo incipiat communiter destillare, dehinc procede cum levi & pauca flamma, & quandoque interpolata, donec liquidum & subtile destilletur quasi totū ex appositis oleis, id quod scire poteris ex visu, sed melius ex pondere olei destillati: postea procede cum igne carbonū mediocri, omittendo omnino flammam: & destillatū servetur in vase vitreo bene clauso. Demum recipe galliæ moschatæ, garyophyllorum, macis, cubebarum, nucum moschatarū, cardamomi, ana scrup. quatuor, spicæ, calami aromatici, corti-

cum citrei exteriorum ana scrup. duos, ligni aloes boni drach. 2. med. ambari electi drach. 3. med. moschi optimi drach. 1. med. pulverizentur omnia subtiliter, & misceantur cum toto prædicto oleo destillato, sicque simul quiescant duobus vel tribus diebus in calore temperato, & postea iterum destillentur arte sua, & ad subtilem substantiam reducantur, serventurque in vase vitreo forti bene clauso cum cera, & est optimum. Vtendi modus talis est, ut prius si oportet facta purgatione totius vel capitis, eo utaris incipiendo mense Novembri per dies quinquaginta continuos, postea semel omnibus octo diebus, postea solum quando vis memorari, capiendo illum in sero præcedenti ante mane quo vis recitare vel concionari.

Vnguentum ad idem. Recipe adipis ursi, capi, gallinæ, vaccæ, & gummi hederæ, ana pondus æquale, omniaque alembico vitreo destilla suavi igne, quo oleo unge tempora & pulsus manuum ter in hebdomada, & rem optimam senties.

Vnguentum quo tempora unges mediocriter in tempore frigido tantummodo. Recipe talpæ pinguedinem, ursi, mustelæ castoreique ana, succi betonicæ & roris marini ana: ex omnibus confice unguentum, quo utebatur, ut fertur, Aristoteles.

Vt profundè memoria teneas & perpetuò, utque velociter apprehendas: hoc usi sunt multi magni viri. Rec radicum linguæ bovinæ, radicum valerianæ, ana uncias quatuor, radicum rutæ unc. duas: fac inde pulveres subtilissimos, postea recipe succum eufragiæ, schlareæ sive ormini, berbenæque ana uncias quatuor: coletur bene succus per pannum, postea misce succos simul, ambo tamen separatim, postea recipe medullam anacardorum unc. unius pondere, & fac pulverem ut supra. Item recipe linguæ avis id est, semen fraxini, & fac pulverem subtilissimum, postea misce omnia prædicta simul scilicet succos & pulveres, & accipe sartaginem terream vitreatam, & pone ad ignem, intusque pone ex ursi pinguedine, & funde seu liquefac paulatim, & intus projice dictos pulveres cum succis mi-

scendo

scendo semper, apponendo de dicta pinguedine quousque fiat unguentum subtilissimum, quo unge tempora & partem memoriæ & frontem & verticis partem versus nucham: hocque ter vel quater in anno facies, & continuabis sic ungendo, etiam prout magis aut minus oportebit hoc enim in virtute excedit superstitiosam artem notoriam.

Ad idem Rec. octo calices aquæ communis, foliorum hederæ, stichadis ana li. 1. med. ponantur simul in aqua ad bulliendum ferè ad consumptionem aquæ, postea coletur beneque exprimatur, & intus pone modicum terebentinæ lotæ cum rosacea, postea caput lava cum bono lixivio, & post exsiccationem unge cum prædicto liquore tempora & occiput.

Pomum odoriferum ad confortationem cerebri frigidi. Recipe ladani, ligni aloes, styracis, ana drach. unam, garyophyllorum, nucis moschatæ, seminis ozimi ana drac. med. cum aqua rosacea, in qua nonnihil moschi & ambari dissolutum sit, fiat pomum.

Ad habendam profundam memoriam, vel si quis eam ex debilitate vel infirmitate amisisset: valet etiam vertigini. Rec roris marini, id est, libanotidis, boraginis, chamæmeli, violarum, rosarum ana unc. unam, stichadis, foliorum lauri, majoranæ, salviæ ana unc. duas: omnia incide & pone in optimo vino, & post diem destilla per alembicum vitreum aut vitreatum, & destillatum serva, in quo pone terebentinæ odoratæ lib. unam, thuris albi uncias octo, masticis, myrrhæ, bdelli, anacardorum ana unc. quatuor omnia tere, & dimitte sic stare per dies quinque cum destillatione cooperta, postea destilla in tantum cum igne fortiori. donec ex eis oleum habeas, quod serva bene clausum in ampulla vitrea bene cum cera & pergameno obturata, modus usus talis est, Recipe ex eo quantum caperet cortex avellanæ per os, & unge etiam partes memoriæ, scilicet occiput & quasvis partes jam dictas, optimum experieris.

Possem hic plura etiam utilia remedia aggregare, sed

hæc

hæc sufficiant, & viam struent aliis pro occasione parandis: nam brevitati studui, & meliora ex bonis selegi, nec penes me, ut nec Christianum decet, latere volui. plura & non spernenda composita reperiet quicunque apud Anconium Fumanellum medicum Veronensem, in opere suo De compositione medicamentorum, &c. Hic ea non transcripsi, ne actum agerem, quamvis meis aliqua ex parte consonent illius nonnulla. eligat quisque quod sibi conveniens sit: & qui nescit, medicum consulat doctum, memineritque nihil sine labore fieri aut parari dignum laude. nam omnia proposuit labori Deus: nec sunt spernenda media illi, qui finem assequi desiderat: cum nec juxta Physicos, ex extremo ad extremum perveniatur sine medio convenienti.

Caput sextum philosophica consilia, canones, & reminiscentiæ præcepta narrabit.

UT Aristoteli placet, duo sunt memorationis actus, memoria scilicet & reminiscentia: quanquam reminiscentia respiciat ea quorum sumus obliti, sitque extimativæ seu cogitativæ virtutis officium, non principaliter memorativæ, ut Averroes & Albertus in suis tramatulis voluere: vel dicas facultatem illam reminiscendi esse mentem & intellectum, ut Themistius voluit: quoniam nulla facultas videtur discurrere, nisi intellectus. hæc autem sine objecti præsentia in homine solo est: nam cum objecti præsentia etiam in brutis reperitur, ut Aristoteles innuit, & in cane venatico satis patet: diciturque sensus phantasticus.

Memoria verò est retentio imaginum prius ab anima perceptarum, quæ tamen neque utilis est nisi & omnes retineat, & eo ordine quo eas concepit, reddat. non est autem præsentium neque futurorum, sed præteritorum tantum, ut inquit Aristoteles. Memoria rursus & reminiscentia, quamvis eidem subjecto generi competant, differunt tamen aptitudine, quoniam bene reminiscentes, communiter

niter male memorari consueverint. tempore item memoria semper reminiscentiam præcedit: non enim quis reminisci potest nisi ex his, quorum habet memoriam. hæc etiam multis aliis animalibus concessa est, illa verò solis hominibus: nam cum reminisci sit velut syllogizare, id est, ex notis ad ignota devenire, hoc verò proprium sit hominis, inde fit & reminiscentiam hominis esse munus, ut superius innui.

Ad memorandum quatuor motus concurrunt: primus est motus spirituum, qui à cogitativa ad memorativam figuras aut species transportant. Secundus est pictura fixioque figurarum in ipsa memoria. Tertius est reportatio à spiritibus à memorativa ad cogitativam seu ratiocinativam. Quartus est illa actio quæ cogitativa recognoscit, quæ propriè est memorari. Dicimus etiam quod actus memoriæ vel reminiscentiæ supra tres res quasi tria objecta per se cadit, videlicet supra rem aliàs apprehensam, supra actum quo illa res aliàs apprehensa fuit, & supra tempus determinatum vel indeterminatum in quo apprehensio illa fuit.

Ad cujuslibet harum rerum defectum necesse est deficere etiam memorationem. Quapropter etiam bene memoria sic definietur, quòd sit apprehensio in anima existentium specierum, cum indagatione & inquisitione: sed de his in primo capite jam dictum. Nunc de artificiosa memoria dicere instituentes, quæ oporteat de se præstare volentem memorari, præscribemus. Erunt autem pro nunc præcepta viginti, sed brevibus verbis complexa.

Primum judicato (hoc & similia sint dicta junioribus studiosis) studia quæ sequeris omnium præstantissima: & te felicem, si consequeris sapientiam, & sapientem audias præceptorem; quem etiam cogaris admirari: plurimum enim memoriæ conducit, si quæ aut leguntur, aut audiuntur, cum admiratione ac voluptate incidant.

2 Eam scientiam judicato difficilem & perpaucis bene cognitam: quia inde oportet ingenium assurgere: & id utile est memoriæ.

Attentè

3 Attentè & accuratè audias præceptores: similiter si legeris facias, ad studium omnes animi vires congregando: ille enim est docilis auditor, qui attentè paratus est audire: nam ex diligenti attentione major fit motus, ac impressio firmior. Vnde Terentius: Vbi intenderis ingenium valet.

4 Cum multa sis collecturus, quantum fieri potest ad paucitatem brevitatemque reduces: aliter enim addiscens, aliter memoraturus procedit: nam qui addiscit, genus in species secat usq; ad specialissima, qui verò vult memorari, multitudinem in unum, vel saltem in pauca redigit.

5 Ordo ante omnia diligatur in divisione corporis in membra: sic tractatus in capita in conclusiones secabis.

6 Singula sæpe repetenda, ita ut cum unum caput & sequens pariter didiceris, & primum & secundum rursus animo repetes: & cum tertium didiceris, rursus à primo inchoandum erit, & sic successivè.

7 Complexurus multa, membratim secabis: ne diffusa multitudo memoriam confundat. Vnde poeta ille: Scire si vis hanc rem, tota sit separata minutim.

8 Sit tibi frequens & diuturna de eadem re cogitatio, vel cum aliis disputatio, vel alteri declaratio, ex frequentatis enim actibus generatur habitus, qui est memoria. Nec te à disputatione deterreat erroris timor: nam tenacius retinebis quod didiceris cum rubore. unde Senec: Memoria nihil perdidit, nisi quod sæpe non respicit.

9 Conare ut intelligas quæ volueris memorari: neq; ita curandum est ut multa legas, quam ut multa intelligas: aut pauca multum legas, eorum præsertim qui non nugis chartas implent.

10 Cave ne obsint memoriæ literæ, ne scilicet illa quæ scripseris in memorabilium libello, ea veluti certa & alligata tenens, custodire desinas, & ipsa securitate fidens, è mente dimittas. Clarum est in hoc Antisthenis Atheniensis exemplum, qui amico cuidam deploranti quòd commentarios suos perdidisset: oportuit, inquit, ista potius animo quam chartis inscribere: sentiens librorum fiduciam esse causam, quo minus memoriam exerceamus.

11 Pro-

11 Procuranda est cibi concoctio, & quæ obsunt memoriæ fugienda sunt, & sint in usu quæ illi conferunt, ut supra cap. tertio & quarto dictum est.

12 Liberandus est animus ab aliis cogitationibus, ab his scilicet quæ studium non recipiunt: nam pluribus intentus, &c.

13 Non audienda tantum, sed etiam videnda sunt quæ volueris memorari: nam semel videntes magis memorantur quàm identidem sæpe sæpius audientes.

14 De quibus interrogatus fueris, confestim ne respondeas, id est, absque meditatione: nam subitâ responsio semper inconsulta est.

15 Metiri debes vires ingenii tui tuæque memoriæ, ne ingeras illi plus quàm semel capere possit aut tenere: exemplum à stomacho sumendum, qui si supra vires oneretur, invalidior fit. non enim concoquit: nec impinguatur corpus gulosi: ita quicquid addiscitur, nisi retineatur, parum prodest: ideo si quantum oporteret retinere non poteris, numerum multiplicabis, & continuam imminues quantitatem.

16 Certas horas studio constitues, illas præsertim quibus à cibo stomachus seu ventriculus erit vacuus: tunè enim ingenium vaporibus non obtenebratur. horæ convenientes erunt conticinia & matutini galli cantus, curabisque ne aliqua ratione fortunæ, deseras tempora studio decreta.

17 Vesperi quotidie quid discendo lucratus fueris repetes, imitatione Catonis, qui quicquid die fecisset, legisset & dixisset, in crepusculo commemorabat.

18 Memoria est à teneris exercenda, ut & in juvene & viro promptior sit & paratior: Quo fuerit imbuta recens, servabit odorem Testa diu. Omnia enim pueris nova sunt: nova autem & admirabilia fortem faciunt in memoria impressionem.

19 Ad animi recreationem viriumque reparationem, non ad obscœna confugies, sed mutato id facies studio: remittere enim animum quàm amittere, melius est. Sed & ludicra

ludicra Christianorum debent esse seria. Post studia igitur seria vel gravia, ad leviora confugiendum, ut ad historiam vel exercitia musicalia: nam vires reparat alitque temperativa quies, ac etiam major est post ocia virtus. Sunt qui ludere malint, quod quidem conceditur, si ludus sit ludus, & non res seria: sitque brevis, honestus, sine dolo vel damno aut cupiditate. Movet ingenium ludus duodecim scruporum, quem moderni scaccorum nominant, sed id eo nimis sæpe adhibetur temporis & studii, quod præstaret melius collocare. Paryæ pilæ ludus, etiam toti corpori proderit: deambulatio, præcipuè capiti. Hæc animi recreatio non sit diuturna neque frequens, & præsertim horis studio non agatur. Revolandum est statim ingenio confirmato ad studia literarum, ne tempus depereat, quo nihil carius, agendumque ut quod deperditum est, ardenti studio recuperetur.

20 Ne discedas à præceptoribus antequam deceat: plures enim scientia in summos evaderent viros, nisi prius esse discipulos puderet, quàm sapere valeant. Proderit & alios docere, dictare, declarare, interrogare, ac respondere: dubitare de nonnullis bonum est, modo id sine ratione non fiat.

Vltimò, inter infelices dies illum computabis, quo aliquid non profeceris didicerisve quod tuum esse possit: ut nulla dies sit (ut in adagio est) sine linea.

PRÆCEPTA REMINISCENTIÆ.

PRIMUM præceptum est, ex ordine & reminiscibilium consequentia: cùm enim didicerimus ordinatim aliqua, connexione & dependentia quadam ordinata, & de illorum aliquo obliti fuerimus, id facile reminiscemur ordine repetito: cognito enim antecedente, facile in consequens deducemur, & deperditum inveniemus. Recte igitur dicit philosophus. Quæ bene invicem ordinata sunt, bene reminiscibilia sunt: quæ verò malè: difficulter

culter in memoriam revocantur. Facile enim gesta recensemus, cum eo ordine in oratione collocantur quo facta sunt: quoniam sicut se habent res gestæ ad invicem, ita se habent & in movendo animam.

Secundum, ut uno simili in consimile provehamur: ut si Homeri non recordamur, Latinorum poëtarum principem Virgilium memoramur: ex quo facilè in Homerum Græcorum vatum primarium descendemus.

Tertium est, ut aliquando contraria recogitemus: qui enim memor erit Hectoris, reminiscetur & Achillis.

Quartum est, loci ac temporis recordatio in quo res tractata est: locus enim & tempus facilè rem adducit memoriæ. Sunt etiam tres argumentorum sedes, à similibus, à contrariis, à propinquis.

Quintum est, res omnes à proprietate repetere: ut si saginati memoriam habere velimus, ad Dionysium Syracusanum descendamus vel recogitemus; qui, ut autor est Iustinus, præ sagina visum perdidit.

LIBER SECUNDUS DE LOCALI VEL ARTIFICIOSA MEMORIA.

ARTIFICIOSA memoria, ut inquit Cicero secundo ad Herennium, ex locis veluti ex cera aut tabella, & imaginibus veluti figuris literarum constat. Sic enim fieri solet, ut quæ accepimus quasi legentes reddamus: neque multum interest an à vertice an à calce incipiamus. Locos ipsos ordinatos esse oportet: nam si in eis confusio sit, confundantur omnia necesse est. Multos etiam eos esse decet, ut multa locari eadem exercitatione possint. Cicero centum eos esse debere judicat. Thomas Aquinas plures habendos consuluit. Hos multi variis artibus quæsiere. Metrodorus in signis duodecim per quæ sol meat, tercentenos & sexagenos invenit locos: quòd tot gradibus apud astrologos secari soleat. Cicero familiarem domum finxit, locis discretam multis,

placuitque illi, ut inter locorum quinaria, vel manum auream, vel aliud quid discrimen figuremus, quo alter ab altero secernatur: in eisque immobilem ordinem haberi, ut semper dextra ingrediamur & egrediamur. Quidam non ignavus autor, ex animalibus locos fingebat, & eorum ordinem ex alphabeto Latino deduxit, ut à singula litera unius animalis nomen inchoaretur: perinde ac si nomina hæc essent: Asinus, Basilicus, Canis, Draco, Elephas, Faunus, Gryfus, Hircus, Iuvencus, Leo, Mulus, Noctua, Ovis, Panthera, Qualea, Rhinoceron, Simia, Taurus, Vrsus, Xystus philosophus (qui de his scripsit) Hyena, Zachæus. Hæc singula in quinque locos dividebat, in caput, in anteriores pedes, in ventrem, in posteriores pedes & caudam: nam hunc ordinem ipsa natura porrexit, neque confundi in eis enumerandis ingenium potest. Sic itaque centum & quindecim locos nactus, in eis rerum memorabilium imagines sculpebant, ac etiam in loquentis facie multa ingenio scribi præcipiebat, in capillis, in fronte, in oculis, sicque deorsum ad pedes descendi. Mihi verò facillimum videtur non modò centum, sed propemodum infinitos locos reddere & effingere: cùm neminem lateat civitatis originalis situs vel in qua diu habitavit. Igitur cùm per portam mens ingreditur, dumque secantes se ad diversas regiones vias considerat, dumque amicorum domos, ædes publicas, prætoria publica repetit, miram locorum quantitatem assequetur. Accedet ad hoc potestas atria effingendi, in quibus quantum libeat, numerum locorum faciet, ut inscribi quæcunque voluerit possint Et quia brevis atque efficax est doctrina per exẽpla, hinc exempla ponam, ut res facilius intelligatur, de decem ponam exemplum, & consequenter ex proportione habebitur vel de mille. Capio igitur domum magnam & vacuam, ad quam non frequenter sed rarò ire debes, & statue primum locum qui est apud ostium distans ab ostio per tres pedes. Secundus locus sit ab isto distans per duodecim vel quindecim pedes: ut, verbi gratia, sit angulus unus. Tertius locus sit à secundo distans per totidem pedes, vel duodecim, & erit forte alter angulus, vel medium inter angulum primum & secundum. Quartus, erit angulus. Quintus, erit angulus distans per tantundem. Sextus consimiliter, & finita sala, intrabis unam cameram, atque intra ostium immediatè signabis septimum, deinde in primo angulo cameræ octavum, & in secundo angulo nonum, & in tertio decimum cum sua distantia. Si vis plura loca, exeas cameram, & signa sic alias cameras proportionabiliter. Nota tamen, quod distantia data mediocris est & conveniens, sed si tanta distantia non inveniatur, sed minor usque ad octo vel ad minus quinque pedes, adhuc tolerabile foret. De templo scito tale esse debere, quod non multum sit frequentatum etiam à te, ne multitudine imaginum confundaris. Ista loca debent esse signa memorabilia & manuductibilia, loci enim non sunt anguli, sed fixæ imagines in angulis situatæ: super quibus sicut super charta aliæ pinguntur imagines delebiles, sicut literæ. Vt, verbi causa, primus locus signatur per urinale, ponendo in ejus loco urinale. Secundus signabitur per pixidem. Tertius per mortarium. Quartus signabitur per pistillum ponendo illud ibi. Quintus per pugillare. Sextus per pedem leporis. Septimus per cribrum. Octavus per sacculum ponendo similiter sacculum. Nonus per panem cereum. Decimus per cannas cassiæ, &c. Et ista nomina oportet mente semper tenere, & loca de quinto in quintum, & quinarii loci menti semper habeantur. de distantia satis dictum. Scio tamen, quòd usque ad viginti quinque licet transire nec ultra: ne fiat negatio in imaginibus. Et consimiliter dicatur de quantitate quantum ad altitudinem, ne sint multæ altitudinis, sed à quinque usq; ad duodecim pedes. Et notetur quilibet quintus, ut dictum est de ordine. de qualitate autem ut non nimis lucidæ, nec nimis obscuræ, nec nimium frequentes. Transeamus ad imagines, quæ sunt res collocandæ: debent ita imagines nobis notæ in istis locis collocari cum motibus talibus, ut per eas valeamus memorari. Verbi gratia, volo memorari de viginti nominibus, sic faciam; in primo loco

imaginem Petri mihi notissimi locabo, cum urinali in manu pleno urina quam fundet super Iacobum mihi notissimum: & ex isto actu notabili, horum duorum memorabor: & sic duorum nominum memoriam mihi fecero. In secundo loco ponam Martinum mihi notissimum (nam oportet imagines istas esse notissimas, ut cito in memoriam recurrant) qui ponet digitum suum in pyxide & extrahet unguentum, quo cum digito orificium unget ani Henrici mihi notissimi. In tertio ponam Andream mihi itidem notum, qui cum manu ex mortario extrahet emplastrum quod ponet super faciem Francisci, vel alios ridiculos actus fabricando, ex quibus memoria de talibus nominibus confirmetur. Et ita pariformiter procedatur in aliis.

Similiter si recordari voluero alicujus cum suo actu, illum imaginabor cum re illius actus: ut, si recordari velim alicujus comedentis ficus, tunc imaginabor quòd cum fico aliquid solatiosum faciat vel stupendum.

Si argumenta recordari vis, capias substantiam argumenti, & ipsam tantum locabis, quia totum argumentum haud posset locari, sicque de aliis rebus suo modo.

Rursus de figuris etiamnùm differamus hjs quinque præceptis.

Primum est, ut aut risum moveat figura, aut misericordiam, aut admirationem: facile enim invenitur figura quæ affectum animæ convertit. Exemplum hujus est, si in ore asini rabidi caput Antonii constituam morsibus ferè confringi, cruorem effluere, auxilia petere, ac passis palmis vociferare: nam fieri non poterit, ut cum voluero, non videam hunc oculis mentis meæ, & reddere Antonium nesciam repetenti.

Alterum est, ut aut simile per simile, aut per contrarium figuremus, aut per proprietatem. Primi exemplum est, ut si nomẽ Galeni sim locaturus, alicujus illustris medici nomen scribam, cujus quoad fieri potest, aut par sit, aut paulo debilior autoritas. Secundi exemplum est, si idem per indocti

indocti medici nomen conscripsero: si Thersitem per Achillem, & bonum pro malo: informem per formosum annotavero. Exemplum tertii est, si Ovidium Nasonem, per magnum nasum: Platonem per humerorem latitudinem: Crispum per anulatos capillos: Ciceronem per Gelasinum sculpsero.

Tertium est, ut à tenellis annis assuescamus locare, & cum quotidiana exercitatione crescamus: quanquam etiam adultis prodesse possit ipsa doctrina. Efficacior fit habitus, si quæcunque aut dicturi aut facturi sunt sic locent: quæcunque etiam inter fabulandum audiant: Sic pingant mores, gestus, temporaque sculpant: Sic enim brevi tempore fient exercitatissimi. Ludere etiam prodest alterum cum altero, illum vincere qui plura clarius, ordinatius, velociusque retulerit.

Quartum est, ut omni quinario rerum signandarum repetamus à principio quæcunque signata: solet enim repetitio valde conferre.

Quintum est, ut quæ non sunt simplicia ea per componentium similitudines statuamus, verbi causa: qui memorari voluerit hujus enunciationis, Cicero cum Hortensio disputat, Cicer legumen in horto finget, qui de horti sterilitate conqueratur: sic enim & cicer Ciceronem, & hortus Hortensium, & querela disputationem repræsentat. Sic autem servari solent & legum capita, ut si locanda illa lex sit, Publicati testamenti fides, effingamus dicam testamentalem patentem, cui quispiam cœnum injecerit: & ejus fides aboletur. Ecce publicati semel testamenti fides relegi poterit. Verùm hæc facilius fient, si adsit doctrina & rerum memorandarum cognitio, neque desit consummata & invicta exercitatio, cùm exercitatio possit omnia: ita & medicus medicinalia, & jureconsultus plebiscita facilius recordatur.

Locus igitur tabulis (in quibus antiquitus multa scribebantur) comparatur: imago autem scripturæ: nominum recitatio, lectionis aut rerum lectarum recitationi. Locus est pars vicaria memoriæ & instar illius capax, multiplicatur-

que per antrorsum & retrorsum, per dextrorsum ac sinistrorsum, per sursum atque deorsum, aliquid addendo vel diminuendo: multiplicatur etiam mensurando longum, transversum & medium. Locorum regula breviter & hæc ordine est, ut primò sit locorum inventio (de qua superius dictum est) deinde ordinatio, meditatio, distantia, fictio, solitudo, mediocris lux, dissimilitudo, quãtitas, loci quinti signatio per manum auream vel alterius metalli, illiusq; variatio, ne similitudo confusionem pariat. Imagines sunt similitudines rerum in mente conceptarum, sive simulachrum simile ex toto vel ex parte rei cujus recordari volumus, imò pro ipsis rebus collocandis accipitur. Sunt verò in duplici genere, scilicet aut notæ aut ignotæ: notarum quædã animatæ, aliæ inanimatæ: & tam animatarum quàm inanimatarum, aliæ simplices, aliæ compositæ. Illud rursus non obliviscaris, quòd in collocandis imaginibus super locis, semper res locanda est cum actu ridiculoso, vel admirativo, vel crudeli, vel alio modo inconsueto: nam ridiculosa, crudelia, injuriosa, admirativa, excellenter pulchra, vel turpia, immutant sensus ac melius excitant memoriã, cum anima circa talia multum advertat. Variantur quoque imagines per transpositionẽ literarum, & per transumptionẽ: ut si velim Romam recordari, ponam Deum amoris, qui vocatur amor: & pro tyranno lupum rapacẽ. Sufficit itaq; nos methodum ostendisse, quã qui sequetur, haud difficilè, modò exercitatio accedat, multorum ac variorum sibi pro occasione debita, recordationem certam parabit: ignaviautem & ociosi torpeant, quibus omnia intensa sunt.

Vltimò, epilogi vice ac veluti colophonem addam quæ scribit Erasmus Roterodamus lib. 3. Eccles. Ad nativæ memoriæ vim natura felicẽ, accedat intelligentia, cura, exercitatio, & ordo. ad memoriam confirmandam nonnihil opis pollicentur & medici & secundum hos Marsilius Ficinus: sed præter ea quæ diximus, plurimum confert perpetua vitæ sobrietas: nam crapula & ebrietas, ut ingenium hebetant, ita memoriam prorsus obruunt: officit etiam curarum varietas, & turba negociorum, officit & tumultuaria

tuaria diversorum voluminum lectio. Hanc præcipuam arbitror causam, cur senectus sit obliviosa: quod ea vis animi multitudine rerum obruitur. officit memoriæ pudor immodicus, auditorum novitas & anxia cura: pudor & novitas vincitur assuetudine. Anxium studium officit ad hoc ipsum quod impendio affectat. Alibi sic inquit: Optima memoriæ ars est, penitus intelligere, intellecta in ordinem redigere, postremò subinde repetere quod meminisse velis. Hactenus Erasmus. Si vis igitur rerum bonarum pollere memoria, diligenter curato, ut ejus quod ediscendum est, certam intelligas rationem. Ratio enim est indissolubile veritatis & memoriæ vinculum. Ob hoc forsitan Plato inquit, quod bene intellectum est semel, oblivioni omnino tradi nunquam posse. Ea quoque memoriæ tradenda sunt, quæ non solum utilia sunt, sed & jucunda. nam alimenta quæ suavissimum saporem afferunt, facilius in naturam nostram transeunt atque convertuntur: & quo avidius quid haustum est, eo diutius retinetur. Adde quod observandum omnino Aristot. & Simonides arbitrantur, ut certus quidam in ediscendis ordo vel insit, vel saltem excogitetur. Ordo in proportione quadam & connexione consistit. In his autem quæ ordinata serie digesta sunt, si quid unum acceperis, reliqua continuò necessaria quadam vel naturæ vel artis continuatione sequuntur. Observandum insuper, ut sæpenumerò quæ didicimus, meditemur: sic enim alimenta animi concoquuntur, & quasi convertuntur in animum. Confert etiam quamplurimum si quis eleganti oratione cantuque suavi, quæ memoriæ mandavit sæpe recenseat, ut dictum supra est. Voluptas enim rerum condimentum est, amoris esca, incitamentum ingenii, voluntatis pabulum, roburque memoriæ. Purganda est etiam anima à malis, ut impleatur bonis: orationeque ad Deum fideli petendus est spiritus sapientiæ & scientiæ per dominum nostrum Iesum Christum, cui cum patre & sancto spiritu si honor, laus & gloria semper.

DE PRAEDICTIONE MORUM NATURARUMQUE HOMINUM facili, cum ex inspectione vultus, aliarumque corporis partium, tum aliis modis.

Opusculum in 23. capita divisum.

AVTORE GVLIELMO GRATAROLO medico Bergomate.

De physiognomia in universali. CAP. I.

OMNIBUS animalibus commune est agere vel pati ab inclinatione naturali, quæ ut in brutis impetus, ita in hominibus propensio dicitur: ut in cholerico est ad iram inclinatio, in melancholico ad metum, in sanguineo ad jucunditatem, in phlegmatico ad segnitiam. Inclinationes ergo istæ in hominibus morum atque affectuum semina dicuntur, quoniam ratione regulari possunt: in brutis verò mores & affectus, quoniam sensibus & appetitu vivunt. Ex quibus patet Physiognomiam scientiam esse necessariam, quo per ipsam prædicimus aptitudines naturales ad affectus vel mores actuales, nec est scientia necessaria, nec firma: verùm quia homines plerunque vivunt sensu, & non nisi sapientes vivunt ratione, ideo physiognomia est scientia prædicendi mores actuales & affectus ut in pluribus, quoniam plures appetitu & sensu vivunt quàm ratione, quàm etiam ob causam Bias Prienæus dicebat, plures esse malos quàm bonos: quoniam plures appetitu quàm ratione moventur: atque, ut inquit Aristoteles, à medio pluribus modis delinquitur, acceditur verò nonnisi uno modo. Duo autem

autem sunt signorum genera: aliqua quæ à qualitate elementari sumpta animi affectiones significant, ut thoracis pilositas, quæ iracundiæ est indicium, ex corde calido, quædam à proprietate, ut capitis in dextrum declinatio, quæ signum est cynædi, nec ex causa calida aut frigida, sed proprietate colligitur. Peripatetici verò (ut Aristoteles secundo priorum) supponunt, nulli homini inesse aliquam affectionem, aut aliquem morem à natura, quin illum in corpore comitetur signum, per quod illa passio aut mos possit significari. Ac licet anima quo ad intellectum sit à corpore elevata, quo ad alias tamen partes & potentias est à corpore comprehensa. Quamvis quoque hominum aspectus non differant specie essentiali, differunt tamen specie accidentali. Sufficit autem pro differentia morum, accidentalis aspectuum differentia. Si quis autem illud Ioannis septimo objiciat, Nolite judicare super faciem (seu aspectum) sed rectum judicium judicate. Respondeo dictum illud à Domino esse in illos qui ex pravis affectibus arrepti, non ex re & causa judicium faciunt, sed ex personarum acceptione, hominumve odio vel contemptu alienantur à rei veritate: quod fugiendum est tum aliàs tum maximè ubi de cœlesti doctrina agitur. Hoc etiam est super faciem (ut suprà dictum) judicare ac falli, si quis vultispex aliquem ex natura hilarem, quem aliquando contingat casu aliquo vitam tristem ducere, si cum natura tristem censeat, qui tamen natura hilaris est, vel è converso. Sciendum etiam duplices fore passiones, videlicet naturales & accidentales: accidentales sunt quæ animæ insunt, & ex eo quòd animæ insunt, nulla fit in corpore mutatio, ut artis & scientiæ, & hæ per signa in corpore non indicantur. Naturales verò quæ cum in nobis insunt, aliqua mutatio apparet in corpore, ut ira, metus, &c. de quibus tractatur. Est enim physiognomia cognitio affectuum & morum animæ: mores autem & affectus sunt in parte sensitiva, quæ dianœa appellata est, animalibusque & hominibus communis.

De capitis judicio, super magnitudinem, figuram & dispositionem. CAP. II.

CVM caput inter reliquas humani corporis partes omnium maximè conspicuũ sit intuentibus, haud ab re etiam Hippocrates ex ejus potissimum figura de totius corporis constitutione judicare docet in sexto Epidemion: quod enim justo plus magnum aut parvum fuerit, id vitiosum existit: & qui eo præditi sunt, iis quæ ad intellectũ attinent, evidenter læsa ac impedita esse apparent. Vt autem caput parvum perpetuò vitiosum, ità magnũ interdum bonum, interdum etiam malignũ existit. Optimum verò caput id est, quod exactè rotundum, & utrinque paulatim depressum existit. Veluti si sphæram exactè rotundã ex cera constructam, paulatim utrinq; depressam excogitares: nam rotundum, ut geometræ asserunt, est capacissimum. Caput ergo melius in magnitudine moderatum existit, & habet decentem rotunditatem quæ ante & retro eminet, parva compressione temperatum. Causa parvitatis capitis est paucitas materiæ: causa magnitudinis capitis est materiæ, scilicet spermaticæ, multitudo. Cerebrum sequitur formam cranei: parvum namque si fuerit craneum, parvum erit cerebrum, & econtra. Cranei figura si corrumpitur, corrumpitur & cerebri forma. Caput hominis inter cætera animalia proportionaliter plurimũ cerebri habet. Mares plus cerebri habent quàm fœminæ: licet effectus aliquando contrarium indicet: sed de his quæ rarò fiunt, vel per accidens, non est ars vel scientia. Caput hominis juncturas plures habet quàm cæterorum animantium, & maris plures quàm fœminæ. Caput debitæ formæ habet formam mallei, in qua pars anterior & posterior eminent. Forma medii ventriculi debet esse leviter compressa, & ita nobilior est cogitativa. Forma anterior si depressa est, judicium abest. Si posterior depressa est, abest memoria, & inest imbecillitas motus nervorũ, & per consequens totius corporis: nam ex cerebri fortitudine ostenditur fortitudo colli & nervorum: similiter spatularum

rum amplitudo, pectoris, hippocondriorum & ossium. Caput non ultra condignam formam & rationem, adauget sensum virtutemque, & denotat in homine magnificentiam. Caput parvum & indebitum, oppositum arguit. Cùm enim caput fuerit magnum, cerebrum erit magnum: & cùm cerebrum sit omnium sensuum principium, caput si magnum sit, erit multi sensus, & econtra.

Maximum ergo habenti caput non ultra formam, formositas, & conditio bona denotatur.

Caput magnum cum figura diversa, & subtilitate nervorum, ac vivido collo, & subtili, ossibusque subtilibus, signum est maliciæ formæ cerebri.

Caput habentes magnum præter formæ debitum, fatui sunt & stolidi, & indociles.

Caput magnum & collum parvum, malum est: deficit enim virtus formativa, & materia est inobediens: inde stoliditas & fatuitas.

Caput magnum corpori proportionatũ, præsertim collo, ita quòd collum sit forte & mediocriter grossum cum fortibus nervis & grossis, non extra laudem bonum est.

Caput pinearum in formam piramidis, ita quòd pars inferior sit grossa & rotunda, pars verò superior acuta & pineata, inverecundiam arguit, rapacitatem, & audaciam temerariam: hoc ex caliditate & siccitate cerebri est. Ianuenses ut plurimum talis sunt figuræ & naturæ, & plurimi cucullati quos religiosos vocant, præsertim Bigotti & hypocritæ: Phoxi etiam dicuntur à Græcis, acuminata capita habentes, ut Thersites Iliados B. Quo non deterior alter venerat ad Troiam.

Caput magnum, cæteris signis ingenium denotantibus, est bonarum artium receptaculum: secus est cum caput magnum est, non respondentibus cæteris membris.

Caput forma decens est cum ventriculo anteriori bonæ formæ & satis humido, quia apprehensio specierum fit ab humido: retentio fit à sicco, in postrema parte.

Caput cum ventriculo medio aliqualiter compresso circa latera, denotat virtutem cogitativam in componendo esse

do esse promptam, & in dividendo quod apprehensum est propter unitatem spirituum in loco.

Caput sphæricum, mobilitatem, instabilitatem, oblivionem, exiguamque discretionem, parvamque denotat sapientiam: motus enim spirituum nunquam pausat: quod in plurimis annotatum est Gallis, Vasconibus, & aliquibus Teutonicis. Si enim forma capitis sphærica est, ventriculus medius amplius est, & spiritus eò tendentes dum amplum locum inveniunt, non bene uniuntur: & sic extimativa debilitatur, quia in girum spiritus obvolvuntur. Talis capitis homines multa pollicentur & attendunt parum: sunt importuni, avari, invidi, de præsenti tantum cogitantes. Nihil confidas his hominibus, præsertim si corpus est cholericum aut melancholicum. Hi si dominium habent, crudeles sunt & tyranni, deprædatores, & homicidæ, nisi pii sint ac Deum timentes.

Caput parvum de necessitate malum: ideo & facilitet ægrotat, & intus est parvum cerebrum, & angustia ventriculorum: in quibus spiritus angustiantes non operantur debitum: conculcantur enim, inflammantur, & suffocantur: ideo non imaginantur bene, non disponunt, non memorantur. Tales sunt irascibiles, timidi, & iram retinentes propter cerebri siccitatem & calidam temperiem. Sunt quoque exigui judicii & intellectus, nec possunt recte discernere: tractant falsa, maledicunt, & sunt bilingues, à quibus fugiendum est, tanquam ab hoste: ab omnibus excipe sanctos.

Caput inepte prolixum, obliquum in organis, impudicitiam refert, & impudentiam.

Caput humile & planum, insolentiæ & dissolutionis vitium signat.

Caput in priori parte eminens, insolentiam testatur.

Caput in anteriori parte vallatum, depressum & concavum, iracundum ac dolosum significat. at qui occipitis cava demissa habuerint, pavidorum nota erit.

Caput magnum cum frontis latitudine & vultu quasi gigantis, tardum, mansuetum, fortem & indocilem denotat: refer ad boves. Caput

Caput longum aliqualiter protensum ad mallei formam, providum & circumspectum arguit, quales ut plurimum sunt Thusci.

Caput rectum, in medio lene & ferè planum, medioque magnitudine, sensibus ingentem & magnanimum facit.

Caput ad omnia mensuratum, ingenio excellentem notat, & perspicacem liberalemque.

Caput esse parvum vel magnum, intelligitur juxta corporis dimensionem.

Caput breve, sine sensu, sine sapientia est.

Caput ex posteriore parte concavum, dolosum & iracundum indicat.

In quibus tempora cava utrinque inspicies, dolosos trucesque judicabis.

Ex colore corporis judicium. Cap. III.

NIGREDO in homine ut cornu lucens, adustionis signum est: tàm in membris quàm etiam in capillis.

Color niger, imbellem, timidum, versutum indicat, refertur ad eos qui in meridiana plaga inhabitant: & etiam qui tales, sunt melancholici, quorum proprietas est timiditas. Ægyptii verò Æthiopes ex innato calore debili & ab extraneo resoluto, debiles sunt.

Flavus & albicans furoris & iracundiæ signum est.

Color medius inter album & nigrum fortitudinis est, quæ virtus media est audaciæ & timoris.

Color viridis obscurus aut niger, pronos ad iram indicat.

Ruffus corporis color, pernicioſi hominis ac variis moribus præditi, argumentum est.

Rubei valde, homines astuti sunt: refer ad vulpes. Rarò vidi breves, humiles, rubeosque fideles. sed pios excipio.

Homines supertabescentes facie, ita tamen ut rubedo major in fronte, & oculi demissi sint, verecundi omnino dicuntur, refer ad passionem.

Color

Color albus subrubeus, fortes & animosos indicat: re-
fertur ad septentrionales.

Color vehementer albus, virtuti est contrarius, ign avi-
que indicium: nam phlegmatici ac frigidi sunt, & ideo et
iam timidi.

Color qui pallore deformatur, imbellem, timidum
eundemq; tergiversatorem significat, si non ægritudo si
studiumve causa palloris. Cum fuscior color pallori per-
mixtus est, voracem, loquacem, intemperatæ iræ atq; lin-
guæ denunciat. Color igitur ad insaniam vergit. Aristote-
les ad Alexandrum inquit, Albedo livida vel flava, homi-
nis deceptivi magnum signum est: quòd si cum hoc acci-
dat monstruositas, erit & natura & anima diminutus: fu-
ge ergo, inquit eodem loco. Cave, inquit, ab homine o-
mni qui aliquo membro diminutus ac mancus est, velut
ab inimico: quoniam turpes ac manci temerarii sunt, le-
quaces. & sine judicio omnia proferentes.

Homines rubore simplici cum labiorum titillatione &
narium ampliatione, signantur animosi & iracundi: refe-
runtur ad passiones.

Color tranquillè & moderatè rubeus, docile ingenium,
veloxque declarat.

Homo cui ea quæ sunt circa pectus & faciem rubore
flammeo ardent, inflammatur ira, maniacus facilè fit ac
rabiosus.

Habentes colorem flammeum vel circa diu iram tenent,
implacabiles sunt, delatores, & difficiles ad regendum sunt
irati. Refer ad morem in iratis apparentem.

Dixit Loxus experientia se observasse hominem cujus
nasus & maxillæ natura hepatico colore rubent, esse omni
vitio horrendo affectum, ut libidine, vinolentia, crudeli-
tate, & cæteris talibus.

Cùm venæ cervicis & temporum extant. & sanguinei
sunt oculi, iracundum animum & vehementem ostendunt, nonnunquam & insanum.

Cùm vultus rubet, aut verecundum, aut vinolentum
declarat. Discernes igitur hunc ruborem oculorum indi-
ciis, & ejus consuetudine. *Capil.*

Capillorum judicium ex substantia. Cap. IV.

Capilli plani, suaves, mansuetudinem & frigiditatem notant & humiditatem.

Calor hominis superiora petens, & passim penetrans, capitis cutem perforat, & humorem per foramina educit, ac subtilior pars humoris evanescit, crassior verò residet & cogitur in capillum cute duriorem extraneo frigore, & capillus fit tam latus quàm foramen, tam longus quam impetus exeundi.

Qui tardè nascuntur, humidam indicant complexionem nec sanguineam.

Si festinant capilli, corpus ad siccitatem declinabit potius quam ad humidum: & cùm caliditas & siccitas conjunguntur, capilli citius nascuntur, & grossiores.

Multitudo caliditatem arguit, & grossities multa fumositatem: ideo amplius in juvene quam in puero: in puero enim materiæ vaporosæ sunt potius quàm humorosæ: in juvene verò secus: ideo contraria sequuntur ipsorum contraria.

In puero multi pili, docent crescentem complexionem ejus ad melancholiam tendere.

Crispitudo in extremitate, caliditatem & siccitatem notat, ut in leone.

Grossities, ex vapore grosso & abundanti. Grossi & nigri capilli Saturno referuntur.

Capillatura compta nimis & ornata seu prolixa tam ab arte quàm à natura, arguit homines venereos & solares. Qui ferunt capillos positicios gratia ornatus, omnino sunt venerei. Nam sicut mulier sua natura induens ornamenta virilia, thoraces, trilices, & alia id genus armorum, est de natura viri, id est, masculina: modo simili viros muliebri ornamento gaudentes, effœminatos appellamus, id est, libidinosos & pusillanimes.

Capilli in capite erecti, & pili similiter in reliquo corpore, timidos arguunt.

Directi ferum vel spissi capilli, rari, insidiosum, mollem, effœminatum. Capil.

Capillorum crispitudo sursum elevata, calidæ complexionis.

Polemon Græcus autor inquit capillos crispos (ideo de omnino crispis intelligo, ut in Aethiopibus) hominem admodum pavidum abominabilemque denotare: rectos (hoc alias haud est) inutilem & stolidum, mediam autem inter hæc qualitatem, optimam hominis naturam testari.

Capilli compressi, fronti eminentes, animum fortem & brutalem ostendunt. refer ad ursos & feras.

Capillorum asperitas, asperos vel ferinos mores denotat.

Capilli compressi, supra mediam frontem resupinati reflectentes in cerebrum, calidum, minus sapientem in bonis virum notant. refer ad barbaros.

Capillus ex utraque parte depressus in frontem descendens, naturæ signum est equinæ.

Capilli juxta tempora tenues & rari, frigidum & sine viribus hominem annunciant: ratio, quia ibi arteriæ magnæ: & ille locus deberet naturaliter esse calidus, ergo & pilorum generatio, quia fit à calido: ergo quando tibi sunt rari & tenues, deest caliditas: refer ad mulieres ibi penuriam pilorum habentes.

Capilli juxta tempora rari sed rigidi, timidum frigidumque profitentur.

Capilli densi circa tempora & aures, calidum hominem & libidinosum notant.

Capilli ibidem si fuerint stabiles, nigri lutei, vinolentum indicant animum. refer ad apros.

Capilli ibidem si fuerint grossi & albiores, arguunt mores indociles & indomitos. refer ad Frisones.

Capilli molles & rari utraque mensura tenues, fœminininum animum & sanguine depauperatum arguunt: similiter hebetem & pigrum. Et quando fuerint rariores magis, subdolum & asperum & lucri cupidum innuunt. refert timiditati barbarorum, & Assyriorum avaritiæ. Assyrii enim extra mensuram avari.

Capilli

Capilli multi grossi atque depressi cum pilositate reliqui corporis, in puero testantur melancholiam futuram, id est, maniam incursurum.

Quando augentur in ætate capilli, repræsentant multam adustionem per naturam, quæ causat ægritudinem fatuitatis.

Linea ultima capillorum si à fronte recedat, callidum & parvi intellectus arguit.

Linea ultima capillorum si fronti imminet, animosum notat ac semiferum hominem.

Linea ultima si post sinciput, ad quod terminantur origines capillorum, descendit versus cervicem, in nequitiis callidum, in bonis verò insipidum ac luxuriosum arguit.

Linea talis ex priori parte cùm longè superior à cervice est, tardum, timidum, fœmineumque animum profitetur, & iracundum.

Mulieres non calvent, quoniam earum natura similis est naturæ puerorum.

Spadones non calvescunt, quoniam in fœmineam mutantur naturam.

Capilli in tactu crispi corrugationi piperis similes, debilitatem notant digestivæ, & citam senectam.

Coloris capillorum judicium, & pilorum ubicunq;. Cap. V.

Significatio coloris pilorum non verificatur pro majori parte, nisi in temperatis climatibus. Aliquid tamen potest comprehendi in quolibet climate comparando ipsis homines illius climatis: ut puta in Teutonicis & Æthiopibus. Æthiopes enim nigri sunt, & eorum capilli crispi ultima tortuositate: non propter hoc eorum complexio erit calida, sed hic calor & hæc crispitudo extrinseco calore nascitur. nam potius frigidi sunt vaporante calore. Teutonici verò & Sclavi, id est, Illyrii, frigidas regiones incolentes albi sunt, & eorum capilli flavi & plani: nec propter hoc generatim dicendum est quòd sint frigidi, imò potiùs eorum complexio est calida valde, quia calor clauditur intrinsecus, ut accidit in hyeme, &c.

Albedo significat aut frigiditatem vehementem, sicut canicies: aut fortem siccitatem, sicut accidit vegetabilibus cum siccantur, quæ ex sua nigredine aut viriditate transeunt in albedinem. Et hoc quidem non accidit hominibus nisi in fine ægritudinum exsiccantium.

Albus capillus est complexionis frigidæ. Colores capillorum præcipui sunt quatuor, scilicet: nigredo, rubor, glaucedo, & canicies. Regiones & aer operationem habent in capillis.

Canicies capillorum oritur defectu caloris naturalis, vel ex putrido phlegmate: & aliquando venereos mores indicant.

Niger capillus est ex cholera incensa superabundante, vel ex combusto sanguine.

Capilli subnigri si sint moderatè tenues, bonos mores indicant, & bonam complexionem hominis præ se ferunt.

Capilli valde nigri non plani sed asperi, calorem arguunt.

Capillus rubeus à nativitate, caloris non adusti signum: sunt enim diminutę caliditatis capilli rubei, & complexio talium hominum minoris est caliditatis quam nigrorum capillorum, cùm rubedo sit proxima & affinis nigredini.

Capilli rubei cum intensione rubedinis, insidiatorem, amentem, cholericum, iracundum, furiosumque absque ratione ostendunt: rubei subalbidi, avaros mores.

Capilli colore castaneo, rectum, justum, dilectum arguunt.

Aureus flavus est diminutæ frigiditatis.

Aureus ex flavo & rubeo mixtus, signum est temperatæ complexionis.

Capilli subflavi moderate tenues, Solis & Mercurii naturam notant.

Flavitas & albedo capillorum arguit frigiditatem, sed diminutam in flavo.

Capilli flavi longi solares sunt, id est, animo regali existentium.

Capilli blondi aut flavi, dominio frigiditatis subsunt, & calor

& calor in humido sopitur: refer ad pueros. Septentrionales tamen habent propter regionem: unde notandum est, quoniam hæc solent physiognomum decipere.

Nigredo capillorum sicut cornu lucidum cum asperitate quadam & tortuositate, caliditatem complexionis arguit. Nigri simpliciter, timidum & avarum signant. Nam omnis timidus ferè est etiam avarus.

Color ut lucidum cornu naturæ Martis assimilatur: nihilominus capilli non sunt grossi, sed aliquantulum subtiles, subtilitate humorum, & nigrificantur intensa caliditate: patet in pane super prunas adusto, quia fugit humiditas.

Crura satis admodum densis pilis oblongisque obsita, ruditati atque agrestiori naturæ abscribe.

Cùm in residuo corporis autem est nimia pilositas, ibi Martis & Saturni sidus vim operatur suam. Tales videmus deprædatores viarum, præsertim quando cilia sunt valde pilosa: cùm solum pectus pilos præfert, calidum & animosum significant.

Cùm omne corpus contectum est pilis asperis & densis, animum quadrupedis potius quàm hominis indicant. Cùm cervix à capite capillosa est, fortem & animosum indicant: refertur enim ad leonem.

Frontis judicium. CAP. VI.

FAcies, pars ea tantum quæ calvæ subjecta est, & in homine tantum.

Frons faciei pars est inter sinciput & oculos.

Latitudo frontis incipit à naso, ubi terminantur cilia versus commissuram coronalem.

Longitudo frontis intelligitur per latitudinem corporis ut villi ac nervi incedunt.

Per rotundam frontem intelliges quandam spæricam eminentiam & promptuariam ad exteriora, & talem formam necesse est deficere in longitudine frontis.

Frons quibus magna, segnes: comparantur bobus. Frons quibus parva, mobiles.

Frons quibus lata idonei ad movendam mentem: si valde lata, stulti: parva discretione, & ingenio rigidi. Latam intellige cum debita quantitate longitudinis & latitudinis.

Frons quibus rotunda, iracundi, præsertim si promtuaria, & insensibiles: refer ad asinos.

Frons quibus parva & angusta, stolidi, indociles, inquinati, voraces: refer ad sues.

Quibus oblonga, valent sensibus, & dociles sunt, sed vehementes aliquantulum: refer ad canes.

Frons quibus est quadrata moderatæ magnitudinis, consona capiti, tales virtuosi, sapientes, magnanimi: refer ad leones.

Quibus est frons plana & continua sine rugis, inflexibiles sunt & insensibiles, contumelioſi, & valde irascibiles, id est, pertinaces in ira obstinati & litigioſi.

Qui mediam frontem simul cum superciliis contrahit, est vili lucro intentus.

Quibus est protentosa, adulatores sunt: referuntur ad passiones & est frons protensa æqualis, quasi ultra tensa. dicitur etiam collecta frons, id est, tensa & tranquilla, ut in canibus patet & hominibus blandientibus.

Quibus est obnubilosa, audaces & terribiles: referuntur ad tauros & leones.

Frons quasi cacumē quiddam habens & fossulas quasdam callidi & perfidi indicium.

Medius habitus frontis inter hos decenter congruit & bonus est.

Frons quibus tristis est, mœsti sunt: & referuntur ad passionem.

Demissa & obscura, planctui promptos facit: refer ad pavones.

Frons magna semper cum grossicie carnis, & econtra, frons parva, cum subtilitate.

Frons parva & subtilitas pellis denotat spiritus subtiles & mobiles: & econtra. Spiritus autem est corpus subtile ex vaporibus sanguinis causatum: estq; spiritus lator virtutum

tutum animæ in membra spiritualia: atq; ideo ubi est humorum grossicies, ibi non potest esse homini ingenium.

Frons rugosa nimis, signum est inverecundi. & rugositas causatur ex nimia humiditate, licet aliquando etiam ex siccitate, & ista non occupat totam frontem, & declarat iracundiam & irascibilitatem, retinet iram & odium absque causa, & sunt tales litigioſi.

Habentes curtam frontem, tempora & maxillas compressas, amplis mandibulis, strumas contrahunt.

Quibus tensa est & lucida, adulatores sunt & doloſi, ut supra dictum.

Frons in longum rugosa, præsertim in radice nasi, arguit cogitationes melancholiæ.

Frons laxa, diffusa vel aspera concava in medio cum tranquillitate cutis arridenti, versutos notat & avaros ac fortasse plenos insciti.

Frons valde distorta, secordem ac stupidum.

Cui velut nebula in rivum frontis est, vel in medium tanquam obstricta, iracundus vocatur: refer tauro vel leoni.

Frons demissa & tristis, animum lugubrem, iracundiam & tristitiam notat.

Frons alta, lata & longa, auget bona. Humilis frons, virilis haud est.

Frons in temporibus quasi inflata grossitudine carnis, maxillis plenis carne, multum animum arguit, iracundiam, superbiam, & ingenii grossiciem.

Curva frons eademque alta & rotunda, stoliditatis indicium est & impudentiæ.

Superciliorum judicium. Cap. VII.

SVpercilia in ossium compage posita sunt: quamobrem compluribus senibus crescunt.

Supercilia valde pilosa ostendunt ineptos ad loquendum, quia arguunt multam & adustam materiam: Item ostendunt ineptitudinem morum & maleficorum: quia

intellectus & morigeratio à temperamento tantum causatur, non ab adustione & fumorum copia. Ex magna namque adustione semper cerebrum calescit, & per consequens est garrulitatis causa furibundi moris, nullo discursu.

Supercilia densa cum multitudine pilorum conjunctorum ad nasi principium, signant adustionem intensam: & habentes sunt melancholici, & prayæ naturæ, impii & aliquando fures & omninò deceptores, homicidæ, ac lenones, & omnia mala complectuntur.

Supercilia ad superius elevata si ad originem nasi descendunt, & superius elevantur ad tempora, signant dominium calidi & sicci, & sunt callidi & malefici.

Polemon ait: Si frontis pili ad nasi medium densi demittantur, ad partes verò quæ utrinque existunt minime, magnanimitatis & maximæ virtutis animi argumentum esse ibidem rectos pilos, timidum & dolis præditum notare.

Supercilia multorum pilorum, multam arguunt cogitationem, & multas tristitias, cum loquela plena & crassa: tale signum aliquando reperitur in deprædatoribus viarum, homicidis & furibus.

Supercilia si descendunt inferius à parte nasi, & superius elevantur à parte temporum, inverecundos & hebetes demonstrant, & hoc propter caliditatem furiosam.

Supercilia rara mensuratæ magnitudinis, arguunt temperamentum, humorum bonitatem: talia habentes, ingenioſi sunt & secreta indagantes.

Supercilia longa, arrogantiam & inverecundiam notant. Longa multorum pilorum signant virum magna meditantem.

Supercilia quando panduntur ad tempora, immunditiem signant, & derisorem simulatoremque.

Supercilia inferius à parte nasi descendentia, & superius versus tempora elevata, & sic utrinque divulsa, inverecundiam, invidum, stolidum, insatiabilem, & porcis similem.

Super-

Supercilia quæ descendunt per incurvationem à parte nasi, ingeniosum in nefandis arguunt: & quando incurvantur ad lacrymale silvestre, signant joculatorem.

Supercilia si fuerint directa lineata & prolixa, malum, imbecillem, & fœmineum animum significant: refer ad mulieres.

Supercilia densa cum coeunt, tristem maximè hominem, sed & parum sapientem significant.

Supercilia dependentia vel oculis imminentia, invidum. Curvata parvam & angustam mentem.

Supercilia arcuata adeò ut penè naso adjungantur, subtilem & ingeniosum ac studiosum.

Supercilia rara, diametro commensurata & magna, intellectum.

Supercilia arcuata, si conjungantur ad conum nasi, subtilem & studiosum notant, si autem convexunt ibidem, tristem & parum sapientem. Si arcuositas declinat ad tempora & ad gibbositatem genarum, negligentem & fatuum.

De superciliis malè dixit Michael Scotus, quem Ioannes Picus dicit esse scriptorem nullius ponderis, multæ verò superstitionis.

Ciliorum seu palpebrarum judicium.

CAP. VIII.

CIlia tegmina sunt oculorum opertoria, venularum clausulis summis innituntur ex vapore crassiusculo. Causa parvitatis, est materia parva.

Subtilitas pilorum arguit subtilitatem materiæ, id est humorum, & dominium choleræ: & tales sunt malicioſi, vitioſi, malefici: & cæteras bilis passiones tu notabis. Et cùm carnosior ille locus fuerit, ut milvorum oculi, astutia & mala caliditas indicatur. Milvorum natura est calida & rapax, & est species aquilæ ratione caliditatis, & est animal cholericum: cave igitur à cholericis non regeneratis ex spiritu sancto.

Lacrymale domesticum cùm est modicum, significat astutum. ut tenet Avicenna.

Cilium ſuperius eminens inflatum magis quàm plenum, parum ſupra oculum declinans, inſolentem & quaſi viſum alligatum notat.

Cilia autem ſi declinant ad inferius, plenum & craſſabundum oſtendunt, maxime cum ſunt rubore obducta, potatorem ruinoſum denunciant. Et expertus ſum in pluribus tabernas frequentantibus. ratio eſt, quia ſignificat debilitatem oculorum, ergo & cerebri, ergo timent vinum.

Quod ſi ſubtile retractum inferius fuerit, in tantum ut oculi obtegatur album, denotant humorum ſiccitatem: quod ſi contingit in acuta aliqua paſſione, mortem denunciant.

Quando pili palpebrarum (à palpitando dictę ſunt palpebræ) curvantur inferius, vel naturaliter ad unam partem torquentur, mendacem ſignificant & callidum.

Qui majorem & groſſiorem habet palpebram, longius videt: quia conſervat lumen à calido & frigido extrinſeco.

Anguli oculorum quando ſunt dilatati, ſignant oculorum ægritudinem: & ſi habent aliquam eminentiam carnoſam ebrioſitatem notant, & præcipue quando oculi eminent, tunicis eorum exiccatis.

Palpebræ oculorum ſuperiores palpebras inferiores cooperientes, longam vitam notant.

Crebra palpebrarum palpitatio, meticuloſos arguit & maniacos.

Tenues palpebræ & in ſanitate optimæ ſunt, & mentem Deo proximam indicant.

Oculorum judicium. Cap. IX.

EX oculorum indiciis Phyſiognomones ſententias ſuas confirmant. quoniam ſigna quæ in oculis cernuntur, idola affectionum cordis ſunt.

Oculorum complexio humida eſt, & ſeptem tunicis formantur cum tribus humoribus.

Oculis paſſiones animæ maximè indicantur, tribulatio, hilaritas, amor, & odium, &c.

Oculo-

Oculorum colores præcipui quatuor, niger, ſubalbidus, varius, & glaucus.

Oculorum forma rotunda, mobilior & perfectior & incorruptibilior, propter carentiam angulorum. Oculi quaſi occulti dicuntur.

Angulati oculi, ſuperfluitates ſæpe ſæpius in angulis habent.

Rectus oculorum ſtatus, probi viri indicium habetur.

Oculi groſſi, timiditatem & puſillanimitatem arguunt, quia cauſantur à magna copia humiditatis cerebri, in qua eſt frigiditas quæ diffunditur per membra, & extinguit ſanguinem. Ideo, quemadmodum ſpiritus ſanguinis facit audacem; ita humida & frigida complexio, timidum.

Eminentes oculi timidos arguunt: refer ad lepores, cuniculos & ranas.

Extenſi oculi in anteriori, ſtultum: profundi, malicioſam ſubtilitatem.

Lati oculi in latitudinem corporis tendentes, porcorum oculis ſimiles, arguunt corporis humiditatem.

Elevatos & eminentes oculos habentes, parum vident: quia elongantur à cerebro eorum fonte: & tales ſunt loquaces.

Oculi in caput preſſi, acutius vident.

Oculus profundus, ſignum eſt malorum morum.

Mobilitas oculorum à caliditate eſt, & iracundiam notat, luxuriem & audaciam: ad accipitres & aſtures.

Immobilitas oculorum à frigido eſt, & timiditatem ac modeſtiam ſignat.

Qui cum oculis palpebras motitant, imbelles, infirmique animi exiſtimat Polemon.

Oculi qui clauduntur, ac denuo recluduntur, proditorem hominem, pravumque denotant.

Si verò in ipſis humor inerit, accuratum, artiumque ſtudioſum dixeris.

Oculi qui difformiter moventur, ut nunc currant

nunc quiescant, ad facinora omnia faciunt, & cogitationem scelerum notant: ideo tales homines pessimi moris sunt.

Cujus oculi moventur velociter cum acuitate visus, sunt latrones, infideles, & fraudulenti. Et multos notavi etiam à pueris qui demum suspensi fuere propter latrocinia: hi tamen habent ingenium subtile, sed ad malum promptius.

Intuitus fixus, ex nimia & fixa cogitatione est, & desiderio sæpius ad decipiendum.

Qui habent intuitum ut mulieres, luxuriosi sunt & invercecundi: nam hæc dispositio à simili complexione venit.

Quando quis intuetur ac si puer esset, ita ut & facies & oculi quasi rideant, hic læta & diuturna potitur vita.

Oculi quasi ridentes cum residuo faciei, adulatores, luxuriosos, & detractores notant.

Oculi crocei crudelitatem notant & deceptionem, ut expertum est in lenonibus, & homicidis. hic color à cholera fit prædominante & adusta.

Hominem cæsios habentem oculos concretos, ac tenebricosos fuge quantum licet. Cæsius in siccis oculis color, impiorum est.

Oculorum color qui oleæ colorem repræsentat, fortem virum testatur.

Flavescens color oculorum, fortem & magnanimum.

Quos plurima nigredo infecerit, difficilis naturæ & fraudulentis judicato.

Oculi parvi, malum & stultum denotant & pusillanimem: refer ad simias.

Profunditas oculorum est ex siccitate musculos & ligamenta siccante, unde sequitur contractio ad interiora & cerebrum exhaustum.

Paucitas materiæ oculorum, significat in humido proportionato dominium siccitatis & melancholiæ, adustæ, aut siccitatem adustivam. Et ob hoc sunt timidi & fraudulenti, ut simiæ sunt, & notat experientia.

Oculi

Oculi in longum situati, invidum, callidum & deceptorem notant.

Naturaliter in specie humana oculi situati sunt, secundum latitudinem corporis.

Oculi itaque situati secundum longitudinem corporis monstruosi sunt, id est, præter naturam. Et unum tantum vidi Venetiis hominem malum & crudelem: hujus causa est caliditas adusta, ex quo sequitur deceptio, invidia, & desiderium malum.

Quando igitur oculi secundum longitudinem corporis positi sunt, callidum & deceptorem demonstrabunt.

Caprini oculi, id est, aliquantulum varii & turbulenti in pupilla, stolidos & fatuos arguunt.

Vaccini oculi, id est, similes oculis vaccarum, crassum intellectum, dementiam, & simplicitatem notant.

Oculi parvi & eminentes ut oculi cancrorum, stoliditatem & suas sequentes voluptates arguunt.

Eminentia oculorum multa objecta repræsentat, unde sequitur ineptus discursus ex confusione objectorum.

Sursum tendentes oculi ut boum, qui & hoc rubei videntur & maximi, pessimum hominem, stolidum, stultum, bibacem, ebriosum notant: hoc autem est ex debilitate cerebri valde humidi & discrasiati.

Oculi sursum directi, tremuli, & pallore infecti, sævi inhumanique ingenii, invidentisque naturæ & homicidæ notant.

Si quis natura oculos sursum ductos habet, is natura libidinosus est. Refertur ad apparentem mortem in morientibus & coeuntibus, ut inquit Arist. in prob.

Elevatio oculorum per accidens est: nam causatur ànimia caliditate, cujus signum est color rubeus, ex qua est perturbatio animæ rationalis: ut videmus in intensa irascibilitate hominum.

Oculi retorti, si ad dexteram tendunt, fatuitatem; si ad lævam, incontinentiam indicare dicit Polemon.

Si oculi venter infra protenditur, vinosum somnolentum

lentumque denotat, si sursum tantum vergat similiter.

Extensi oculi cum vultus extensione, notant homines malicioſos & nequam: ratio, quia siccitas est in causa similiter & caliditas: & anima calida maligna est ut plurimum.

Asinini oculi, insipientes & duræ naturæ notant homines: sunt enim siccæ & frigidæ complexionis.

Oculi in capite quasi absconsi, id est, intus concavi vident longius, & arguunt suspicioſum, malicioſum, pessimæ iræ, perversi moris hominem: aut valde memorem præsertim injuriarum: audacem, crudelem, fallacem, mendacem, vitioſum, luxurioſum, &c.

Oculi moventes se in gyrum uniformiter, malos mores indicant, & homines sceleratos, facinoroſos & venenatores domesticæ familiæ ac pollutores: qualis Thiestis & Thereus & Medea, quorum filii etiam laniati sunt manibus parentum. Cùm autem modò involvuntur, modò recurſant oculi, modò interquiescunt, ab his non dum perpetrata sunt hujusmodi facinora: verùm in animo & in cogitatione versantur.

Oculi habent tantas colorum varietates, quia diaphani sunt & raræ substantiæ: & hoc ex aqueis humoribus est ex quibus constant oculi: ideò spiritus visivi ostendunt suas qualitates in oculo: ut mulier menstruoſa maculat speculum, & puerulos in cunis inficit, & oculis sanis interdum nocet.

Maculæ multæ circa pupillum in oculo apparentes, malum significant hominem, & deterior erit oculus maculoſus si varius.

Oculorum varietas non procedit nisi à calido elevante vapores ad oculos: & quanto major est varietas, tantò major est caliditas.

Quanto maculæ sunt magis variæ, aduſtio est major spiritus elevati, unde & morum varietates, & vitiorum caterva procedit: & ex magna varietate deteriatur judicium honeſtum & laudabile.

Qui

Qui oculos lucentes habent, ii sunt libidinoſi: refer ad gallos & corvos.

Oculi in rubore prunæ, peſſimos & obstinatos arguunt, igneo enim colore bilis intensa notatur.

Qui habet oculos mediocres declinantes ad cæleſtem colorem vel subnigredinem, talis homo est penetrabilis intellectus, fidelis & curialis. Dicit Avicenna oculos similes antimonio.

Almansor dicit oculos meliores esse inter nigros & varios, si non sint radioſi, nec rubedo aut citrinitas appareat. Oculi isti demonstrant discretionem & ingenium: ratio est, quia privati sunt & melancholia aduſta.

Color oculorum cæleſtis & niger aut charopiis, præsertim ubi non sunt maculæ, ab humoribus humidis & temperatis sine aduſtione causatur: ex quo sequitur spiritus similis naturæ, & inde ingenium & speculatio. Chatopum Latinè fulvum potes interpretari, ut fulvum aurum, fulvus leo, vel flavus, luteusve.

Varius color fit ex clariore spiritu visibili: unde tales sunt bene nati & indagatores scientiarum.

Deteriores oculi habent maculas albas vel nigras vel rubeas vel cujuscunque coloris; & talis homo deterior est omnibus, & magè reprobus: excipe tamen eos qui suffuſione laborant, ex quibus probiſſimos & pios cognovi.

Oculi varii, magni & glauci, si fuerint cum guttulis rubeis maxime pulverulentis, qui color cyaneus dicitur nigro corrupto assimilatur, in gyro ordinatè moti, turbatum animo hominem ac vitioſum designant, verùm audacem & ingenioſum.

Per oculos non semper totum, sed nigrum intellige: nigrum enim est quod enarrat.

Quibus igitur nigri oculorum superrubescunt, ii adeò irascibiles sunt, ut ob iram stupeant & alienentur.

Observavimus etiam in albo oculorum venulas oculorum sanguine plenas rubescentesque, iracundos valdè indicasse.

Cùm

Cùm altera pupilla plus est major, altera minor, iniquitatem significant.

Guttulæ rubentes in oculis, sed non valdè, ac potius in nigredinem vergentes, ita ut intuentibus nigrescere videantur, generosi animi, justi, probi, & ingenioſi sunt notulæ.

Oculi qui tanquam guttulis nitoris intus relucent, nitidos, compositos, gratiososque valde notant.

Oculi guttulis rubicundis omnino, non tamen rotundis sed quadratis, ac ut ignis micantibus intrinsecus & inferius, & aliæ post ipsas sint pallidæ, & aliæ clauceſcentes, & circuli forinsecus pupillas claudentes sint sanguinolenti, sitque oculi magnitudo, & palpebræ & pupillæ moveantur, significant animum atrocem ultra mentis cogitationem, & domestici sanguinis effusorem, nefanda omnia perpetrantem, & dolo ac versutia omnia subvertentem. Tales erant oculi Ezelini tyranni.

Hujusmodi guttulæ quando fuerint rubicundæ & minutæ, tanto majorem iram & scelus facinorosum testantur. Majores quidé & obscuriores hæc nefanda minuunt, sed minimè tollunt. patet hoc in notulis serpentum.

Nigræ guttæ aut sanguineæ in nigris aut fuscis pupillis maleficum & venenarium testantur. Pallidæ guttæ, dolos, fraudes, malignitates obscuras notant.

Nota quòd quanto guttulārum colores sunt vehementiores, tanto sunt efficaciores.

Oculi habentes maculas albas aut nigras vel sanguineas circum quaque notant deteriores homines, proditores, nefarios & reprobos, nisi suffusio fuerit.

Sunt tamen oculi ut iris colorati, qui si sicci sunt, insaniam arguunt: si verò humidi, magnificentiam & sapientiam significant, tamen cum iracundia & venere turpi. Oculi humidi ut aqua fulgentes, hominem bonis moribus denotant.

Pupilla si nigra fuerit & claudatur ante dicta citrinitate, vel si deaurata appareat, ut dicunt medici, sanguinis fluxum præsignat per inferiora.

Oculi

Oculi magni & supercilia longa, brevem vitam notant, ut in pluribus judicatum est.

Oculi longi cum superciliis longis, erit doctus, sed brevis vitæ.

Qui habet albedinem subnigram in oculo, significat magnum hominem in honore viventem.

Oculi parvi & rotundi, ad malum iterantes significant, dummodo sit facies obducta pallore.

Oculi valde mobiles & parvi & palpitantes, pessimum indicant, ex caliditate.

Oculi bene mobiles & acuti, signant furem: refer ad accipitres.

Venosi & sicci oculi, maniam futuram vel præsentem notant.

Obsiti caligine oculi, homines malis artibus imbutos arguunt & infideles ac intemperantes.

Oculi prædictis contrarii, boni: videlicet perlucidi, nullo signo malo impugnanti: ut erant oculi imperatoris Hadriani, referente Polemone.

Oculi lucidi magni luminis coruscique etiam cum glaucedine & sanguineitate, temeritatem & insaniam arguunt: si verò statum detinent mensuratum, bonum mentis habitum signant.

Oculorum mediocritas inter nigrum & varium laudatur, etiam inter alios prædictos modos, nisi multum existant radiosi, aut valde citrini vel rubei. At sanguine infecti, inconsultos, & ocyssime quæ proposuerant efficientes arguunt.

Oculi magni pellucidiq; nitore, justum, docilem, providum & admonitorem signant, quales erant Socratis.

Oculi nimium præeminentes rubicundi & parvi, mentem & linguam effrenatam, ac instabilem animum denunciant.

Oculi præeminentes & micantes, trementes & salientes, quos Græci pantomimos appellant, pravos, dolosos & versutos testantur.

Oculus tremulus levitatem, id est animi instabilitatem significat.

Oculi

Oculi trementes, glauci, sine pudore, sine fide, sine justitia sunt.

Mensuratæ magnitudnis oculi humidi atque perlucidi, magnanimum & magna cogitantem ac perficientem significant. aliquando indicant iracundiam, vino deditum, latronem & cupidum extra modum: & tales erant oculi Alexandri.

Risivi & maximi oculi, hebetem, luxuriosum & improvidum notant.

In Scythia fœminæ Bithiæ vocatæ in oculis pupillas geminas habentes, & visu perimentes, si quem fortè iratæ aspexerint: hæ sunt & in Sardinia.

Cavi oculi arridentes, velut insidiis constituti reputentur: præsertim si genæ supercilia & labra unà moveantur, infandas cogitationes ac dolos, præsertim si interdum palpebræ coeant & interdum se tangant: cogitationem nequissimam demonstrant etiam.

Et tristes oculi non sunt omnino timendi: humidorum enim in cogitatione sunt dediti, & optimarũ artium denotant studia. Quod si horum supercilia & frons sint latiora cum tranquillitate convenientes & palpebræ laudabiles, ingenium testantur fidum, benignum ac grave.

Oculi humidiusculi horrendum intuentes, in iram propensos, acres, furiosos, sermone & actionibus properos, temerarios ad dicendum testantur & nequissimos. Aridi verò oculi pravos impiosque, cùm hujusmodi exigui & concavi fuerint, deteriores supradictis.

Tristes oculi sed sicci cum asperitate frontis, & intensione aciei, & palpebrarum subjectione, nocentem, ferum, nihilque inausum indicant relinquentem assignare.

Aridi oculi & tristioris intuitus, summæ benevolentiæ hominis argumenta testantur, inquit Polemon.

Quibus ab oculis pendent tanquam lippitudines, amatores vini sunt, & calvantur, & tali dispositioni inest cerebri humiditas & lassitudo.

Quibus autem ante oculos tanquam lippitudines eminent, sunt amatores somni.

Lippi-

Lippitudo fit ex grosso sanguine ac melancholico humore ad palpebras affluente.

Lippitudines oculorum, inspecta dispositione, bibacem ebriumque notant, & quando fuerint cum demissione oculorum, somni amatorem significant.

Oculi magni tardos signant: refer ad boves.

Oculus medius inter parvum & magnum, bonus.

Oculi mediocritas bonitatem puritatemque innuit.

Oculus concavus malitiosi est: oculus eminens, fatui.

Oculi valde concavi, nulla prorsus laude digni: quos autem concavos sed magnos videris, non vituperabis.

Oculi concavi & exigui, dolosos hominis mores testantur, ac proditorem, invidiaque ac æmulatione tabescentem denotant, quique majori æmulatione flagret, incredulum & sacrilegum.

Concavi risum præ se ferentes, malum cogitantem denotant.

Oculi parum concavi, magnanimes sunt: refer ad leones, amplius verò, mansueti: refer ad boves.

Pupilla nigra, pigrum nunciat & hebetem. Pupilla in circuitu cujus apparent margaritæ, hominem signat invidum, verbosum, timidum, & pessimum, inquit Rasis. Latas pupillas, pravorum morum fore dixit Polemon.

Parvas etiam, pravorum & perversorum. Quibus circulos qui circá pupillas sunt inæquales inspexeris, hi stolidi habendi sunt.

Obliqui oculi cum febre acuta, signum sunt mortis.

Si diu oculi remanserint aperti, signum erit stoliditatis & inverecundiæ.

Oculi valde nigri timidos arguunt: & nunquam fallit. Etiam ad lucrum avidos notant.

Nigri oculi ignavum moribus hominem, pavidum & infidum testantur. Color enim niger timorem arguit.

Oculi pallescentes, ad dolum propensos denotant.

Non valde nigri, sed ad flavum declinantes, boni animi signa sunt & fortis.

Glauci aut albi oculi, timidi signa sunt, & de albo non fallit.

Nigri oculi, splendore notabiles, pravos, dolosos & valde maleficos testantur, qui autem nigros & leniter subrubentes habuerint, in omnem turpitudinem coguntur.

Non valde glauci sed charopi, boni animi notam faciunt: refer ad leonem & aquilam.

Glaucus color est proprie noctuarum (quas ideo γλαῦκας Græci vocant) oculorum color: vulgò Italicè gazoli nuncupantur à calore picarum, quas gazas vocant, quæ alas eo colore variegatas habent.

Venosi oculi, maniacos testantur: refer ad capras. Venosi autem dicuntur illi oculi, qui pleni sunt parvis & minutis tractibus ad modum minutarum venarum: ex quibus color oculorum diversificatur. Tales ergo sunt diminutæ phantasiæ quæ servit intellectui, refer ad oves.

Ignei oculi, inverecundi sunt, refer ad canes: rapaces etiam & litigiosi. Oculi ignei sunt, quando ad modum ignis rutilant, flammant & scintillant: sunt enim accensi ira, & si unum vident, duo apparent. Averrois in De sensu & sensato, docet causas. Præcipuum signum iracundiæ est naturalis rubedo in venis oculorum.

Discolorati oculi, timidos arguunt, refer ad pavos. nam qui timent, pallent, & sunt coloris inæqualis.

Oculi læti, luxuriam notant: refer ad gallos, corvos, &c.

Oculi & genæ superrubentes, ebrios signant & amatores vini.

Oculi rubentes sicci, animosi sunt, & in iram veloces.

Glauci aut turbidi oculi, timotoros arguunt, relati ovibus & capris.

Oculi mediocres & demissi, verecundos & honestos demonstrant.

Oculi instantes, subrubentes, libidinosum & voracem nunciant.

Oculi stantes, breves, vel parvi & prominuli, avarum, lucrorum vehementer cupidum, appetentemque declarant. Si autem etiam frontem cum superciliis ad medium contrahat, multo est avarior, ac lucrorum studiosior.

Lupus animal est rapax, iracundum, insidiosum, audax, violen-

violentum. Qui ad hujus animalis speciem referuntur homines, ita erunt: naribus obuncis deorsum detractis, superciliis conjunctis, hispidis, oculis parvis, clausis, subcavis, capite parvo, rotundo, hispido corpore, protensis capillis, reductis ac restrictis cruribus, hujusmodi homines callidi, impii, gaudentes sanguine, ad iracundiam faciles.

Faciei & vultus judicium. CAP. X.

FAcies eorum qui bene nati sunt talis est, scilicet mediocris in genis & temporibus, vergens ad pinguedinem, talis est verax, amans, intelligens.

Cùm Iacob ex facie Laban ejus in se odium deprehenderet, ad uxores suas conversus dixit: Cognovi ex facie patris vestri, non esse amplius in me qualis heri fuerat. Nam vultus, sermo quidam tacitus mentis est.

Faciei lætificatio est ex læto corde, & è contra.

Facies sæpe capitur & simpliciter de naturali aspectu, vultus verò de qualitatibus animorum. Deformis aspectus est raræ felicitatis.

Facies quibus carnosa, rathymi sunt, id est faciliter concupiscibiles: refer ad boves.

Quibus facies natura rubra est, ii & verecundi, & hilares sunt, quibus pallida, ii sunt natura timidi.

Macilenta facies, arguit sollicitos: & aliquando proditorem.

Carnosa facies, timidos notat: refer ad cervos & asinos. Timiditas soror est tenacitatis.

Magna facies tardos signat, sunt enim irregulatæ materiæ phlegmaticæ: ut boves asinique.

Valde ossosa facies, laboriosos, pavidos, ac frigidæ naturæ homines indicat.

Forma media, nec magna, nec parva, utique conveniens.

Parvifica facies, illiberales notat.

Carnosa valde, pigriciem, stultitiam, & grande desiderium: ideo vana desiderat & impossibilia: & tales sunt creduli, studentq; in contendendo, bibendo, & luxuriando, si alia correspõdentia fuerint annexa, scilicet magnitudo duorum ventrium.

Carnosus in facie, est minus sapiens, importunus, & mendax atque vorax.

Gracilis facies facit circumspectum in operibus, & arguit intellectum penetrantem.

Equi & homines quorum facies rugosa est, ex decrepitis parentibus sunt nati. Vis enim cordis ubi hebetata est cutim contrahit, estque indicium debilium membrorum principalium.

Subtilis facies notat hominē multarum cogitationum.

Faciem habens ut ebriosi, facilè inebriatur & ebrius est.

Modestam & verecundam habens, pares habet mores.

Iracunda facies iracundiam denotat: & sic de aliis.

Rotunda stultitiam notat. Magna valde pigriciem.

Parva valde, malum, callidum, adulatorem, illiberalem & timidum signat.

Deformis facies rarò arguit bonos mores. Distortum vultum sequitur distantia morum.

Longa, inverecundum, injuriosum, scilicet ex caliditate.

Inflata tempora venis & arteriis magnis, iracundiam & irascibilitatem assignant.

Carnosa si squalida est, significat timidum & amentem.

Grossa cum maxillis amplis & rusticosa, hebetem rudemque naturam signat.

Facies per se rubicunda, asperos & truces hominis mores testatur: si verò malæ tantummodò hujusmodi colore inficientur, ebriosum hominem judicato.

Parva colore croceo, vitiosum, deceptorem, ebriosum signat, & hoc persæpè annotatum.

In homine facies manet, vultus mutatur: nam à volendo dicitur.

Trux vultus ex conditione labiorum, genarum, frontis & rictus, stultum & insanientem.

Lætus & arridens vultus jucundū arguit & libidinosum.

Tristis vultus denotat tristitiam, deductus, cogitatorem, subdolum, timidum, astutumque adseverat.

Sudans sæpe facies etiam facili motu, caliditatem notat, luxu-

luxuriam, gulam, ac magnam commestionem, & inde in concoctionem ac futuras ægritudines.

Vallata facies plus macra quàm pinguis, injuriosum: lividum, mendacem, rixosum, crudelem, homicidam, præsertim si adusto sit colore, vel livido vel croceo.

Facies bene dispositа carne, colore & suis connexis, vitam laudabilem arguit, & virtutum copiam. Omnis vultus, cum est plenus & crassus, ignavum significat, & voluptatibus deditum.

Concava facies à principio frontis usque ad finem menti ut sit nasus & os in valle, malos mores arguit, præsertim cum livido & adusto colore. Vidimus istos esse interfectores, loquaces, prædones, fures.

Multos ego vidi propinquos infortunio, quorum aspectus celabant infortunium prius, demum ad id deformes facti fuerunt, videlicet facies eorum facta est turpis plus solito contractis ciliis, obliquatis oculis, & id genus effectibus variis.

Cave ne decipiaris judicio in leprosis, quia rotundantur oculi & eminent venæ.

Vultus parvus, parvum & angustum ingenium: enormis, stultitiæ & ignaviæ testatur.

Nasi nariumque judicium. CAP. XI.

HÆc pars præ cæteris hominis faciem formosum deformemque maximè reddit.

Nasus porrectus usque ad os cum decenti magnitudine, cartilaginem & carnositatem arguit ex calida complexione, & est signum probitatis & audaciæ.

Nares magnæ & amplæ, magnos arguunt testiculos, & hominem luxuriosum, proditorem, falsum, audacem, mendacem, invidum, cupidum, tenacem, & parum timidum, ac grossi ingenii.

Nasus complexionem cordis arguit, & ex magno naso irascibilitas assignatur.

Nasus magnus & parvus, arguit verenda maris & mulieris qualia sint. Veretrum magnum est ex grossa materia & calido intensio,

Pes tamen mulieris est signum vulvæ.

Pes longus, strictus & macer, eandem vulvam arguit, & econtra.

Mensura medii pedis, nudi, est mensura longitudinis vulvæ in quacunque.

Labia quoque grossa, grossam pellem vel labium vulvæ grossum testantur, & econtra. Et præsertim in virgine.

Nares sunt nasi latiores partes, ubi respirandi foramina videntur. Græcè ῥῖνες à ῥεῖν quod fluere denotat: nam humor à cerebro per ipsos defluit.

Nares nasi, signant testiculos, hoc modo: grossæ & latæ signant grossos & latos: subtiles verò, strictos & parvos. Vnde regula non fallit nisi per accidens, ut puta per ægritudines, & per tractationes, ut cinædi faciunt: operatio enim auget membrum. Ita in pluribus dextera est major sinistra, quia frequentius venit in opus.

Aquilinus nasus est magnanimitatis nota, similiter crudelitatis, rapacitatis & audaciæ: hoc à calido est, inde irascibiles & vindicativi, & facientes illicita.

Aquilinus nasus in corpore valde cholerico, id est cirrino seu livido adusto deterior est.

Aquilinus verò in corpore sanguineo vel hujusmodi tendente ad choleram, non ita malus.

Aquilinus articulatus in fronte signat magnanimos, refer ad aquilam. Articulatus in fronte intelligitur, quòd habeat eminentiam versus frontem: Dicuntur tales esse rapaces, fit à calido & sicco, signat irascibiles, impetuosos cholericos.

Simus nasus, impetuosos & luxuriosos arguit, pusillanimes tamen, quia à phlegmate & humido.

Qui brevi naso ac simo sunt, fures & lascivos judicato.

Nasus curtus, os parvum, dentes curti & grossi, sunt ab humido & frigido.

Nasi acuitas, collum longum, epiglottis, & vox acuta, & pulchra, sunt temperaturæ cholericæ.

Nasus latus in medio ad summum declinans, verbosum, mendacem, irascibilemque significat: & tales notavi esse

esse cum excellentia vitiorum, præsertim circa mendacia.

Nasus in extremitate acutus, mendacis est nota, litis & iracundiæ signum. Est enim à cholera.

Nasus extremus grossus rachimos notat, id est concupiscentes & abjectos: refer ad boves. Tales præsertim in re venerea concupiscunt quicquid vident: sunt etiam irascibiles.

Nares latæ luxuriosum annotant.

Nasus in extremitate grossus insensibiles, inverecundos, indisciplinabiles denotat, vel segnes: refer ad boves.

Nasus in extremo acutus, irascibiles notat: refer ad canes.

Qui naso plus nimium brevi fuerit præditus, accusatorem esse, ac delatorem censeas.

Valde retortus nasus, magna ex parte tum mores tum mentis propositum retortum perversumque denotat.

Nasus obtusus rotundus in extremo, magnanimi signum est, refer ad leones.

Nasus in extremo subtilis avicularis, par rostro avium, festinos, leves & stultos arguit, idem longus & subtilis.

Nasus à fronte in os curvus & ductus, facit inverecundos, refer ad corvos, & etiam fures.

Nasus concavus cum fronte rotunda sursum eminente, luxuriosos notat: ut galli, grandis nasus, probi indicium.

Nasus in extremo grossus fœda grossitie, insensibiles significat: refer ad sues.

Nasus in superiore depressus, animi imbecillitatem & stultitiam signat: estque signum fœmineæ levitatis.

Nasus à fronte si mox curvus producitur, inverecundos signat, ut corvos.

Curvæ nares, quas Græci γρῖπας vocant, magnanimis attribuuntur.

Aduncus nasus, præclara mente & ingenio præditum indicat.

Nasus declinans in partes hominis laterales, si ad unam tantum positionis partem declinat, à cingulo versus partem extremalem, læsionem notat, si vero fuerit divisus, in

utraque parte positionis, ægritudinem sive percussionem ostendit: & hoc vel à causa primitiva vel antecedente.

Nasus in origine sua propè simus, liberalem ostendit: ut leo.

Nasus rubeus cum basi atque foramine & latitudine trahens ad tumefactionem ad modum fragorum, vinolentiam & ebrietatem ostendit: & tales ut plurimum sunt humidi luxuriosique, maxime si tale signum in corporibus parvæ dimensionis reperiatur, & hoc notum fuit experientia.

Nares apertæ iracundos signant, & quanto magis apertæ sunt, tanto majorem iracundiam notant.

Obstructas nares habentes, fatui censendi sunt.

Tenues & valde apertæ nares, ferocitatem & mentem indignatam signant.

Tenues & longæ nares mobilitatis & levitatis dant signum.

Tenues & acutæ, querulum.

Narium pars admixta fronti, & à fronte deposita honeste & sejuncta compositione bona, ut neque alta neque humilis sit, & aliqua linea descendat, virilitatem indicat & constantiam, & prudentiam notat.

Nares in altitudine directè elevatæ & continuæ, intemperamentem signant: & hæ sunt quæ in extremitate interiori cartilaginis elevantur ad lineam, & descendunt ad nasum. Cùm directæ sunt, linguæ intemperantiã produnt.

Nares majores, simpliciter minoribus sunt meliores.

Nares minores naturaliter servilibus ingeniis, furibus, & tergiversatoribus adscribuntur.

Patulæ nares, alacritatis & fortitudinis indiciũ produnt.

Nares peranguſtæ, obtusæ, rotundæ, concluſæ, stultitiam proclamant.

Narium amplitudo, & in maxillis carnium multitudo & paucitas pilorum in genis, humidam complexionem significat.

Valde obtusæ nares, insipidos arguunt. Parvæ, mentem perversam demonstrant.

Pili qui intra nares hominis nascuntur, si quando densi &

si & multi & crassi sunt, immobilem animum & durum ostendunt. Si pauci & molles, facilem ac docilem animum nunciant, vipressi dicuntur, quòd cùm evellantur, vibretur caput.

Aurium judicium. Cap XII.

Aures magnæ generantur ex multa materia à virtute forti: & tales habentes, frequentius sunt collo brevi, & satis formoso, & sanguinei tendentes ad choleram ex grosso sanguinei aliqualiter adusto, & hoc frequentius: & sunt impatientes, & cito irascuntur.

Magnæ aures & erectæ ultra modum, indicant stultitiam & loquacitatem.

Magnæ aures asininæ sunt, cum stoliditate & tarditate intellectus.

Magnæ aures, stolidum, & longæ vitæ hominem notant ut plurimum.

Magnæ & deorsum flexæ, divitias arguunt.

Subtiles & siccæ aures, arguunt, quòd habentes nonhabebunt bonum, & notant magnam instabilitatem.

Auriculæ magnæ fatuos indicant, tamen bonæ intentionis & memoriæ.

Valde parvæ aures, stolidos, latrones, & luxuriosos indicant: refer ad simias.

Parvæ aures simiales sunt, cum malignitate & dolo.

Valde parvæ aures sunt ex parva materia cholerica & virtute imbecilli cerebri. inde subtilis spiritus, ideo signant ingenium in operibus malis, fures, & omnia desiderantes, &c.

Anguſtæ & oblongæ aures, signum invidiæ. Aures oblongæ invidum.

Parvæ aures, parvam dant vitam.

Rotundæ nimium aures, indocilem arguunt.

Aures excavatæ, prudentem denotant virum.

Mediocres aures habent notam morum optimorum: ut quadratæ.

Optimæ & moderatæ aures, ad morem canis, fideles arguunt & bonos, irascibiles tamen si irritentur.

Equinæ aures, principatum & dominium teſtantur, ſa-
tem futurum.

Si prima pulpa aurium jungitur cum carne faucis, id e
mandibulæ, ſtultum & vanum notat.

Flexibiles aures oſtendunt proportionem calidi & hu
midi.

Erectæ & cartilaginoſæ aures, oſtendunt ſiccitatis do
minium.

Aures proeminentes valde magnæ, aviditatem, ſtolidi
tem, garrulitatem & imprudentiam notant.

Aures ſemicirculares, mediocres, connexæ lineæ, & i
medio aliquantulum compreſſæ verſus centrum, capi
adhærentes, mediocriter piloſæ, bonitatem præſtant na
turæ.

Aures jacentes ſuper caput applicatæ, hebetes & ſegnes
notant.

Aures latentes, & capiti recto modo fixo, pigriciam in
dicant.

Piloſæ aures, longam vitam aſſignant, & bonum auditu

Aures inter has ſpecies mediocres bonæ ſunt, & bona
tatis ſignum.

Pili qui intra aures ſunt, ſi plures ſunt & ſpiſſi & longi
multum calidum animum libidinis appetentem indicant.

Maxillarum ſive genarum judicium.
CAP. XIII.

MAlæ ſunt eminentes ſub oculis partes, maxillæ per di
minutivum à malis.

Mandibulæ ſunt maxillarum partes, ex quibus barba.

Maxillæ accipiuntur ſæpe pro mandibulis.

Maxillæ potiſſimum oſtendunt hominis complexio-
nem.

Maxillæ, id eſt mandibulæ eminentes ex parte ſuperio-
ri oris cum longitudine maxillarum ex parte compoſitio-
nis, malicioſos aſſignant, præſertim in illicitis ac incon-
gruis: & aſſimilantur ex parte maxillarum bubus & aſinis.

Maxillæ curtæ & eminentes ex parte ſuperiori oris, mali-

maliciam, detractionem, violentiam, invidiam aſſignant, præſertim quando ibi non eſt præſentia carnis.

Maxillæ rubicundæ cum temperamento albedinis, non nimis craſſæ, ſed mediocriter carnoſæ, calidæ & humidæ complexionis cum temperamento donant judicium.

Maxillæ ſubſtantia macilentæ & tenues, colore fuſcæ aut citrinæ, complexionē calidam & ſiccam demonſtrant.

Maxillæ quaſi lividæ cum ſubſtantia à carnibus depurgata, ſignificant exceſſum ſiccitatis & frigiditatis, ut patet in melancholico.

Maxillarum caro groſſa, naturam teſtatur groſſam, ignaviam & vinolentiam: interdum & violentiam.

Maxillæ nimium tenues, malignitatem arguunt: Lenes malæ & prolixæ, importunam loquacitatem deſignant.

Malæ oblongæ, nugacis hominis, & vana loquentis ſigna ſunt.

Genæ ſic dictæ, quòd in iis dentes pilique gignantur.

Genæ plenæ cum temporibus inflatis dant ſignum iracundiæ vehementis.

Genæ parvæ ſituatæ ut ab oculis conſpiciantur abſciſſæ, plenitudinem humorum gravantium arguunt.

Rotunditas genarū oſtendit invidiam & mores doloſos.

Craſſarum genarum, ignavi & vinolenti ſunt.

Genæ leves male diſpoſitæ, prolixam linguam, importunitatem & loquacitatem arguunt.

Genæ ſupererubeſcentes, ebrios, vini amatores aſſignant.

Oris natura, & menti. CAP. XIV.

OS latum, bellicoſos aſſignat: & eſt à calido, unde magna membra procedunt.

Exiguum os, fœmineæ eſt naturæ.

Os magnum, latum, iram, audaciam & prælium arguit: & tales etiam ſunt guloſi.

Os dilatatum ultra menſuram ac ſi reciſum eſſet & diductum, voracem, immitem, impium, bellicoſum, crudelem aſſignat, belluis marinis comparatum. Sunt etiam tales

les multi sermonis, jactatores, garruli, invidi, mendaces & val de insipientes.

Os cum parva clausura & apertione, timidum, pacificum, infidelem tamen assignat.

Os longe prominens & rotundum cum spissitudine labiorum, & quæ sunt sursum exterius retracta habuerit porcis comparatur: & significat immundum, stultum, ferocem.

Os in situ quantitatem habens cum parvis labiis & parva clausura & oculis risivis cum residuo faciei, libidinosum, cynædum, mendacemque significat.

Exiguum os exterius prominens, pravos hominis mores, & proditores indicat.

Os in loquendo cum torquetur, ex catharrali vitio infestatur: ut expertum est.

Mentum cum prolixum est, minus iracundum, & minus perturbatis moribus esse manifestat: aliquando tamen loquacem, aliquando sui jactantem ostendit.

Qui parvum habent mentum, vitandi sunt: nam præter cætera immites, insidiosi sunt, referuntur ad serpentes.

Si in rotundum desinat mentum, muliebres mores indicat. nam & signum fœmininum est. Virile autem mentum propè quadratum esse debet.

Qui menti figuram decentis magnitudinis sortietur, ad venerea propensum esse & gratias sibi arridere judicato.

Debet autem mentum esse non nimis rotundum nec acutum, sed mediocre.

Qui nimium protensum mentum habuerint, nequissimi homines, atque importuna loquentes, susurratoresque sunt.

Mentum in extrema parte divisum, sic ut bifidam exprimat formam, si talis figura immodica appareat, d olosis moribus adscribenda est.

Labiorum judicium. Cap. XV.

Labia facta sunt ex carne molle, motu bono propter loquelam. Labium superius, inferius labrum: multi dicunt

dicunt labia hominum, labra mulierum: confunduntur tamen hæc.

Magna labia sunt stultorum & hebetum.

Labiorum color rubeus versus aperturam oris, est propter multas venas ibi adductas.

Labiorum naturalis color in extremitatibus est rubicundus, propter cutis subtilitatem, & signatur puritas complexionis, & impermixtionis turbati sanguinis in forti virtute.

Lividitas labiorum significat contrarium, deficit enim virtus sanguinis & naturalis calor, talia habentes labia ægrotant.

Labium inferius laxum valde rubicundum, in fœmina maximam libidinem & impudicitiam arguit: & hoc in pluribus annotavi: in pueris significat caramitos vel futuros, præsertim si vultus & oculi eorum sunt risivi.

Laxa labia, lunam habent planetam.

Magna labia multam arguunt materiam attractam caliditate: & grossities arguit humores grossos & spiritus ex quibus sequitur hebetudo ingenii.

Si erecta sunt atque spissa, id est firma & compacta, Mars eorum planeta est: pariter quando os est magnum.

Labia blanda, parumper ridentia, lætis vultibus contingentia, libidinem arguunt, aliqui tamen sunt etiam deceptores, fures, dolosi.

Homo cujus labia intrinsecus non rubent, ægrotat vel citò ægrotabit.

Labia oris valde grossa, laxa vel nimium revoluta foris, simplicem notant & citò ridentem, grossique ingenii: asinis comparatur, & phlegma prædominatur.

Subtilia labia laxa in extremitatibus, demissave, ita quòd superius labium ad inferius protendatur ad conjunctionem labiorum referunt magnanimitatem. Refer ad leones: hoc etiam videbis in fortibus canibus.

Subtilia & dura labia circa dentes caninos eminentia, arguunt intellectum belluinum & indocilitatem.

Inferius labium superiore majus, stolidos notat.

Inferius

Inferius labium ad caninos dentes intumescens, veneno plenos indicat.

Labia grossa superius, ad inferiora propendentia, fatuos arguunt: refer ad asinos.

Labium superius proeminens gingivis, amatores contu meliarum arguit, & versantes in litibus & controversiis: refer ad canes.

Parva labia & subtilia, & parvum os, imbecillitatem animi & versutiam testantur.

Optimus labiorum & oris status est, quando non nimis humidus: nam humiditas oris & labiorum timiditatem & malignitatem arguit.

Labiorum præeminentia, stoliditatem, loquacitatem, & audaciam testantur.

Labia convenienter, id est non multum subtilia & aliqualiter foris retorta, secretum, sagacem, iracundum, & multi ingenii hominem signant.

Labia cum gingivis super dentes præeminentia, maledicum, clamosum, iracundum, & ad injurias inclinatum indicant, refer ad canes.

Labia bene colorata, plus subtilia quam grossa, hominem bene conditionatum & cito convertibilem in utrumque, sed potius ad virtutes, ibi Iupiter est.

Labia non bene æquata, ut unum sit majus altero, plus simplicem quàm sapientem & variæ fortunæ attestantur hominem.

Labia superiora parva, aliquantulum elevata, verbosum notant, invidum valde & accusatorem.

Labia superius elevata, inferius verò submissa, testantur vitæ miseriam & mores indebitos.

Labia superius subtilia & eversa declivia, furem & deceptorem notant.

Labia non judicentur de Aethiopibus, nisi ab his qui inter Aethiopes versati sunt, & eorum qualitates annotaverint. Nos autem judicare possumus de regionibus nostris.

De

De dentibus. Cap. XVI.

Dentes canini si longi sunt & firmi, ad exteriora expositi, gulosum, irascibilem & malum arguunt, similiter & lascivum: refer ad apros & canes. Cognovi istos esse maximos lurcones, bibaces, deceptores, lenones, homicidas: præsertim si aliqua est correspondentia portionum.

Dentes debiles rari & minuti, totum corpus debile arguunt, ac vitæ debilitatem ac brevitatem, & econtra.

Sonus à dentibus factus, maniam denotat: quod interdum infantibus dormientibus accidit, cum judicio lumbricorum.

Grossi latique dentes sive intus sive foris declinent, signant hominem vanum, lascivum, simplicem: & ingenium bonum arguunt. alii dicunt arguere spiritus grossos, ab humoribus grossis.

Dentes siccissimi omnino humiditate privati, aridique omnino, in ægroto mortem notant, in sano futuram & citam ægrotationem: ostenditur enim humidum radicale consumptum, & corpora eorum sunt sicut lucerna sine oleo.

Dentes rheumate pleni, signant vitium capitis aut stomachi communitate capitis & pulmonis, causantium corizam, branchum, tussim, synanchiam, & apostemata faucium.

Animalia habentia dentes serratos bibunt lambendo: habentia verò continuos bibunt sorbendo.

De lingua. Cap. XXII.

Lingua ad inferius conversa traulizans aut balbizans, diarrhœam ventris arguit: ut habet Hippocrates trigesimosecundo Aphor. sextæ sect.

Lingua ad sapores percipiendos & literas ac voces proferendas facta est.

Diarrhœi fiunt blæsi aut balbi propter materiam descēdentē à capite, quæ etiam ingreditur spongiositatē linguæ ac lacertos. Vnde ingrossatur, dilatatur & abbreviatur:

ideo

ideo traulizant, id est balbutiunt: alii etiam à natura fiunt de quibus Aetius.

Lingua anterius ligata, non recte profert S literam, & blæsos facit.

Lingua posterius ligata, non bene profert R vel T.

Qui male proferunt R, τραυλοὶ vocantur vel blæsi, & loco ejus utuntur L. Aetius Ancyloglossos vocat libro octavo, capite trigesimosexto.

Qui male proferunt S, Syali dicuntur, & vice illius ponunt G.

Blæsi sæpe timent vinum & inebriantur: inde est quòd ebrii balbutiunt, & male proferunt trentrati.

Linguæ gravitas in juventute, signat post levitatem ejus subitam mortem.

Grossa & lata lingua, arguit ingenium rude, & humores phlegmaticos.

Traulizans & anteriorem syllabam repetens, paratus ad melancholiam.

Lingua motu contacta veloci, & corruptione verborum repetentiam causans, stultum, impetuosum & iracundum notat, propter mobilitatem spirituum & caliditatem festinantem prolationem absque consideratione.

Lingua cùm velut lapis fuerit penè immobilis, pigritiem notat.

Lingua subtilis, ingenium notat subtile, & aliquando biliosam temperaturam.

Lingua longa rubea, sapientis indicium est: denunciat enim laudabiles humores.

Lingua alba paupertatem & miseriam testatur, ut Ptolemæus ait.

Lingua in naturali colore infecta, discrasiam & malam dispositionem notat, præsertim ventris & pectoris. Hæc Conciliator.

Lingua longa grossa & rotunda ita ut cum ipsa possit quis nasum abstergere, bovinam arguit naturam.

Lingua imbibita humoribus quibusdam, corrumpit gustum.

Balbi

Balbi omnes, elati, superbi & corpore rigidi: Græci τραυλὰς vocant.

De Voce. Cap. XVIII.

QVi tardum & gravem vocis edunt sonum, tranquilli sunt, affabiles, & jucundi. horum & justi mores sunt.

Gravis & distensa vox, fortem notat. nam à copia caloris fit. intelligo vocem grossam quasi tubalem.

Gravis, sed corruptæ admodum vocis sonus, dementis, injurioси, & gulonis indicium est.

Fortitudo vocis sequitur largitatem venarum & spirituum multitudinem, quæ omnia fiunt à calido.

Valde magnæ vocis homines, graviter vociferantes, apti sunt ferre injurias: referuntur ad asinos.

Vocantes graviter magnum non perplexum, fortes: refer ad fortes canes.

Qui à gravi incipientes finiunt in acutum sonum, ii iracundi sunt & simul lamentabundi: referuntur ad boves ita clamantes: ut infrà.

Vocem grossam & sonoram habens, est bellicosus & eloquens.

Acuta & remissa vox, timidum & invidum signat: per remissam intelligo gracilem vel debilem, non grossam.

Acuta mollis & rupta, timiditatem notat muliebrem: estque effœminati.

Acuta & fortis iracundos arguit: refer ad capras.

Tarda vox, inertem, præcipitem, impudentem declarat.

Debilis vox signat stricturas arteriarum & paucitatem spirituum: quæ fiunt à frigido.

Mollis sine tensione vox, mansuetos notat: refer ad oves. nam referenda etiam vox, sicut cætera, ad similitudinem animalium.

Antevocantes, id est incipientes in gravem, & finientes in acutam, iracundi sunt, & asperis moribus.

Vox mediocris in sonoritate & grossicie, sapientem,

providum, veracem & justum ostendis. Quorum sonus ingratus est, stultitiam judicat.

Cujusque vocis sonus brevis est, desidem pavidumque censebis.

Velox in verbis, præcipue si sit vocis gracilis, improbus, stolidus, importunus & mendax est. Si verò vox fuerit grossa, erit iracundus & malæ naturæ.

Dulcem habens vocem, invidus est & suspicionsus.

Qui movetur frequenter, & loquitur motu manuum, est immundus, eloquens, deceptor. Qui vero est abstinens à motu manuum, hic est perfecti intellectus, bonæ dispositionis, & sani consilii.

Quorum vox incurrit in nares, ita ut resonent nares, mendaces, malevoli, invidique sunt.

Gentium aliquarum universalis cognitio.
CAP. XIX.

GEntium vel provinciarum mores ut plurimum tales sunt. Ægyptii sunt callidi, dociles, leves, temerarii, in Venerem proni, avari. Thraces autem sunt iniqui, pigri, temulenti. Celtæ ut plurimum indociles, fortes, feri. Nam quemadmodum regiones non sunt similes, sic nec hominum mores: nam (ut Maternus inquit) Scythæ crudeles sunt. Itali regali nobilitate præfulgidi, Galli stolidi & inconsulti (quamvis, invito Materno, nonnulli etiam sapientes & consultissimi sunt, præsertim qui Evangelium bene noverunt: sed major pars vincit meliorem) Græci leves. Afri subdoli. Syri avari. Siculi acuti. Asiani Veneri ac semper voluptatibus occupati. Hispani elata jactantiæ animositate præpositi. Ægyptii sapientes. Babylonii prudentes, &c. Alia differentia sumi potest respectu quatuor mundi partium, ut habet Ptolomæus libro secundo De judiciis capite secundo. Aliud discrimen à natura loci sumitur, ut ab Hippocrate colligi potest in libello De aëre & aquis: nam campestres sunt molliores, mitiores, & minus robusti habitatoribus montium, magisque divites & compti artiumque cultores. Terra item arenosa facit robu-

robustiores homines, sanos & industriosos: argillacea verò opulentiores, sed infirmiores: ubi verò opulentia, ibi mores sunt mansuetiores, & cultus artium viget propter præmia, & omnia sunt magis ornata. Differentia est & à situ quo ad montes: si enim montes sunt à parte orientis & septentrionis, erunt morbosi, imbecilles & effœminati: si verò regio ab his partibus patuerit, montes autem sint ab occidente & meridie, erunt incolumes, viribus firmi, armis dediti, feroces, artium minutarum contemptores. Possem & alias differentias respectu aquarum adducere, quæ parum etiam doctus ex se potest excogitare ac scire, ne hic ego frustra sim longior. Qui mari vicini sunt ferè omnes sunt mercatores, aliquando piratæ, magis longævi & magis firmi, periti natandi & navigandi. Rursus in planicie magis sunt equites, in montibus agiliores & firmiores. Ex his deduci possent & alia magis particulari. Possunt ex astrorum etiam natura de his conjecturæ sumi: exempli gratia, Britannia, Gallia Braccata sive Narbonensis, Germania, Bastarnæ (populi Europæ latè potentes) propriè subsunt arieti & marti: itaque harum incolæ sunt communiter feroces, pervicaces, truces: at Italia, Apulia, Gallia togata sive Cisalpina, Sicilia, leoni subjectæ sunt & Soli: præstantiæ, benignitati, amicitiæque student. Tyrrheni verò qui & Hetrusci vel Tusci dicuntur, Celtæ sive Celtiberi, Hispanique, sagittario & Iovi: libertatis, simplicitatis & mundiciæ sunt amatores. Maritima minoris Asiæ loca, Cyclades insulæ, ac Cyprus, tauro ac Veneri: ideoque ferme voluptatibus, mundiciæ, corporique serviunt. At Græci, Achivi, Cretenses, subditi virgini & Mercurio: ingeniosiores, doctiores, & animorum cultores evaserunt. Macedones autem, Thraces & Illyrii cum subjiciantur capricorno & Saturno: in re quidem paranda non inertes, sed à mansuetudine morum & conjunctionibus alieni. Parthia, Media, Persia, Iovi ac Veneri: quæ de re harum regionum incolæ florido vestitu utuntur, seque totos illo præter pectora operiunt, delicatoque victui ac mundiciæ dant operam. Virginis & Mercurii est

Babylon, Mesopotamia, Assyrii: quibus ideo & eximia mathematicarum disciplinarum cognitio & observatio siderum contigit. Saturno verò cedit propriè India, Ariana, Gedrosia: habentque eam ob rem cultores informes, fœdos, immanes, Cœlesyria, Iudæa, Idumea, magis scorpionis & arietis Martisque propria: ob eam rem incolas habent ferè audaces, impios, insidiosos: Phœnices, Chaldæi, sub leone & sole sunt: quod simplices, humanos, siderum observatores, solisque inprimis veneratores reddit: Arabia felix subest sagittario & Iovi: unde extitit illa consentanea appellationi feracitas & aromatum copia, hominumque dexteritas & liberalitas vitæ, contractuum, negociorum. Hyrcani, Armeni, Matiani propriè referuntur ad geminos & Mercurium: itaque & sunt nobiliores ac subimprobi. Bactrianæ gentes & Caspiæ unà cum Scythis libræ parent & Veneri: ideoque divitias congerunt, musicæ, delitiisque indulgent. At Sauromatica, Oxianæ vel Oxolæ, sogdianæ, subjiciuntur aquario & Saturno: habentque homines immanes, tetricos, feros. Phryges, Bithyni, Colchi pertinent magis ad cancrum & lunam: quo fit ut viri ferè leves sint, morigerique mulieribus. Qui Syriam tenent & Comagenem, & Cappadociam, subduntur Scorpioni & Marti, itaq; multum audent, improbi sunt, insidiosi, laborioſi. At Lydi, Cilices, Pamphilii, cedunt piscibus & Iovi: suntque in re paranda attentiores, commercia & mercaturas faciunt, liberales, faciles in contractibus. Numidæ, Carthaginenses, Afri debentur cancro & lunæ: & hac de causa à conjunctionibus commerciisq; non alieni sunt, inque omnium rerum affluentia degunt. Qui incolunt Metagonitida, Mauritaniam, Getuliam, scorpio Martique obediunt: immanes, bellicosi, carnivori, discriminibus obvii, neglectores vitæ, inque sese mutuo invadentes. Phizani, Nasamones, Geramantes, subjecti piscibus & Iovi, liberabilibus & simplicibus sunt moribus, opus faciunt, conciliis valent, sordium regnique fugientes propter Iovem Ammonis, id est Iovis in forma arietis veneratores. Cyrenarum, Marmaricæ, inprimisque inferioris

ris Aegypti incolæ adscribuntur propriè Geminis & Mercurio: ideoque sunt cogitantes, prudentes, intelligentes rerum omnium, sed maximè sapientiæ & divinitatis, magi, arcanorum initiorum institutores, in mathematicis planè excellentes. Qui Thebaida tenent, O assim Aegypti civitatem, Troglodyticen, libræ sunt ac Veneris: unde calida natura est illorum, & mobilis, & in abundantia degunt. Arabes, Azani, Medi, Aethiopes dantur aquario & Saturno: suntque carnivori & piscivori & pastores, agrestem & feris similem degunt vitam. Cor scorpii nunc afficit Hispaniam & Celticam Galliam, ubi est Lutetia & Normanni & Neustrii & quos vocant Britannos Galliæ: fecitque rapaces ac subdolos, qui alioquin antiquo tempore erant boni socii, qui erant sub sagittario. Sed qui de his plura cognoscere optat, videat apud Astronomos, præcipuè Ptolemeum in secundo libro de judiciis, & Cardani commentaria. Rursus Hispania mediocres circa robur homines gignit: sed circa rerum agibilium copiam cæteras orbis gentes facilè superant. Et plurimi inter eos sunt, qui & jactu & pernicitate non unico, sed pluribus in modis maximè excellant.

In Lusitania, quæ Portugallia dicitur, homines melancholicos sanguineos magna ex parte nasci compertum est, eorum plurimi satis amplis viribus abundant, quamvis ingenii perspicacitate non præstent.

Siculi cholerici melancholici sunt, quorum patria homines & corpore & robore bono procreare solita est. Palæstram exercent, & leves sunt in giris peragendis.

In Italia, magna ex parte debiles sunt. Nonnulli ex iis (quanquam rarissimi) plurimo robore præstant, & imitando potius quam inveniendo, præstare sunt soliti: inter proceres & mediocres statura & graciles sunt.

Germania multos phlegmaticos gignit: qui suæ complexionis naturam apertè ostendunt, quos post phlegmæ cholera magna in parte consequi solet: eosdem etiam magnos atque corpulentos esse sensus indicat: inter quos vel robore præstantes, vel ad arduas actiones multum habiles,

viros vix invenies, quamvis in rebus quæ manibus effici debent, ingenioſi ſint.

Galli phlegmate ac cholera proportionari ſunt ſoliti: lenti ac debiles nimia ex parte ſunt: ſed & aliqui eorum ſingulares, ſed valdè pauci longo intervallo reliquos ſuperant: & virium copiam poſſident, ſed illis rectè uti rarò & pauci ſciunt. Invenies igitur ut plurimum ad regionis naturam ſequi corpora moresque hominum. Particulatim autem cibus ac potus varius aliquos quidem poteſt ſobrios, alios prodigos magis operari, & hos quidem continentiores: aut audaciores, timidos, manſuetos, mites, vel litigioſos & rixoſos, & hujusmodi, ut apud Hippocratem & Galenum videre eſt, præſertim in libello Quod animi mores ſequantur corporis temperaturam.

Colli & aliquarum corporis partium judicium.

Cap. XX.

Collum gracile & longum habens, eſt ſonoroſus & ſtolidus, timidus etiam & malignus.

Breve collum habens, valde eſt callidus & defraudator: refer ad mores apparentes, ut in catto mures capiente, &c.

Collum groſſum habens, eſt ſtolidus & commeſtor magnus.

Qui vertebram cervicis aſperam continent, hos morum aſperitate præ cæteris natura notavit. Ac totum aſperum collum habentes, rudis ingenii usquequaque cenſendiſu nt.

Cervix obeſa in ſummitate, indocilem hominem, nec non ad injuriam inferendam propenſum denotat.

Collum concretum & acclive, improbi, temerarii ac indocilis hominis habetur.

Surſum erectum collum flagitioſi, dementis, ſtultæ deſe ipſo perſuaſionis, niſi ob id molliciem agat.

Incurvatum autem collum, fatui hominis, parci, pravi, neque ſimplicis, atque animi rectitudinem habentis indicium eſt.

Collum in dextram aſpiciens, prudentis & ornati ac provi-

providi hominis: ad ſiniſtram vero, inconſiderati, ac inſipientis.

Collum tum craſſitudine, tum longitudine mediocritatem habēs, fortis naturæ, docilis, præclariq; ingenii judicato: nonnunquā vafro ingenio ac fraudulento adſcribitur.

Venæ circa collum à lateribus, & venæ circa tempora, ſi amplæ & turgidæ ſunt naturæ, notant habentes malæ iræ fore ac peſſimæ, refer ad paſſionem in iratis quibus ſic hæc fiunt.

Vaſta cervix cum prolixitate, animoſum, jactantem, ſuperbum aſſeverat. (& fidelitatis.

Humorum elevationes, ſignum ſunt aſperitatis naturæ

Brachia quando erecto corpore in tantum protenduntur, quod manus perveniant ad genua, ſignant habiles operi, audaciam, & probitatem cum largitate quando verò decurvantur brachia, ſignum eſt amantis diſcordiam, ac ignorantis ac invidi.

Palmæ longæ cum digitis longis, ſignificant bene diſpoſitum ad multas artes, præcipuè mechanicas, & ſapientem in operibus: ſignum eſt enim boni regiminis.

Digitorum groſſicies, ſignat ſtoliditatem & inſipientiam magnumque epar.

Metiendum quoque eſt ſpacium ab umbilico uſque ad pectoris finem, & uſque ad originem colli: ſi major pars pectoris fuerit, prudentiam indicat. Si quod intra pectus eſt uſque ad umbilicum majus fuerit, voracem hominem declarat Latius vide infra capite 23.

Venter ſi nimiò receſſus eſt, tanquam inanis, timidum, malignum & voracem indicat.

Venter aliquanto mollior atque impreſſior, virtutem animi & magnificentiam monſtrat.

Latera tenuia, & anguſta, & preſſa, timiditatis arguunt, at quæ referta ſunt carnibus, & dura, indociles homines oſtendunt, quæ autem rotunda ſunt tanquam tumentia, loquacitatem inanem declarant, nam refertur ad ranas.

Dorſum latum, ſolidum virile eſt: & contrarium muliebre: quorum dorſum incurvū eſt, ſi in molli corpore fuerit

non tam malum accipiendum est, quam cum inspisso & solido corpore fuerit.

Dorsum convexum & humeri ad pectus imminentes, pravum esse hominem & invidum arguunt. Si verò ad hæc & corpus acclive fuerit, impudenter pravum, invidum, avarum, & tenacem dixeris. Si gibbositas à nativitate sit, scis proverbium, Cave à signatis à Deo.

Spinæ pars inferior, quæ ὀσφὺς Græcè dicitur, si latè jaceat, & nimia sit, & molli carne circumdata, fœminarum est: quæ prolixa est, & in acutum desinit, intemperantiam libidinis, & timiditatem ostendit. Virilis ergo est, quæ claro ossibus & moderata ac solida est.

Ischia solida & dura, discreta ossibus, fortem & bellatorem hominem ostendunt, si vasta & carne plexa, muliebre ingenium designant. Quæ autem nimiũ exesa sunt, rugosa & tenui cute circumdata, simiarum malignitatem indicant. Coxam etiam intellige, quæ est basis nostri corporis.

Genicula cum inter se conversa sunt, atque concidunt, ad fœmineam speciem referuntur.

Qui crassos malleolos tibiasque crassas natura sui habuerint, hi insaniunt majori ex parte, ac in cestasim rapiuntur, fanaticique sunt.

Crurium partes imæ, talis proximæ, & calcanea, & pedes imi, cum vasta sunt, & referta carnibus, stultum hominem indicant vel insanum: & eo magis si & humiles digitos, & κνήμας vastas in iisdem pedibus esse contingat.

Effœminati, impudici, impuri existimandi, qui tibias quà ad malleolos descenditur, crassas habuerint.

Pedes imi, discreti nervis, articulis, clarum, generosum & virile ingenium indicant.

Pedes mutili crassique, ferini animi signa sunt.

Molles & amplexa carne circumdati, molle ingenium ac fœmininеum ostendunt.

Nimium prolixiores, invigilantem dolis hominem, multis perniciem cogitantem demonstrant, vel malorum artificem.

Pertenues & breves, malignum vafrumque produnt.

Curvi

Curvi pedes, & qui plantam longè cavam ac reductam habent, improbandi sunt: nam pravi signa sunt hominis.

De incessu, de cervice, manibus, unguibus &c.
Cap. XXI.

QVi longis passibus & tardis incedunt, consulti sunt & efficaces. Parvi autem & restricti passus, parvæ mentis sunt. Dolorum artifices, & obscuræ mentis, distorti passus.

Gressus tardus & brevis, consultus, inefficax est. Longus veloxque, efficax & inconsultus. Velox brevis, inconsultus & efficax. ratio horum est, quoniam longus est efficax, tardus, consultus; velox, inconsultus: brevis, inefficax.

Celeritas motus cùm est erecto corpore & honesto atque claro, hominem indicat qui adgrediatur res agendas, magnasque perficiendas. Si autem celeriter quid movetur, submittit autem oculos, & se comprimit, & vultum deducit, atque omne corpus implicat & colligit, nimium parcum, timidum, versutum, minus liberalem indicat.

Qui breves passus habet, eosdemque accelerat, malignus & plusquam timidus & imbecillus habendus est.

Brevis cervix, re atque exemplis cognita est, quòd sit indicium hominis cum timiditate audacis, qui Græcè θρασύλος dicitur.

Cervix dura, indocilem hominem ostendit, unde natum proverbium, Homo duræ cervicis.

Cervix superius retorta, insolentem, immitem, stultum & inanem indicat.

Cùm inflexa est cervix ad pectoris partes, potest cogitationibus occupatum animum ostendere: potest ad parsimoniam vel ad malignitatem pertinere, prout cætera signa congruerint.

Cervix in sinistram partem declinata, stultitiam aliquatenus, & mollem magis significat.

Aristoteles etiam ad dextram partem inclinationem capitis, mollibus attribuit ex pauco colore.

Guttur asperum, levitatem mentis, loquacemque significat: refertur ad aves.

In quo eminet clavicula, illum ignavum judica.

Qui autem illam recte dispositam habuerint, prudentia præditos, viriles, ac fortes viros denotat.

Scapulæ latæ, fortem virum, ac nobilis ingenuique animi denotant: in forma ab hac diversa, diversa judicabis.

Humeri tenues, & qui in acutum erecti sunt, insidiosum hominem indicant.

Humeri crassi, haud laudabilis naturæ argumenta sunt.

Tenues cubiti, imbecilles: pleni nimium, indociles ostendunt. Cùm ergo mediæ soliditatis sunt & articulis, & musculis insignes, fortem animum & nobile corpus ostendunt.

Digiti cum molles sunt, levesque manus & molles, docilem hominem significant, cum duri, fortem seu indocilem demonstrant.

Breves manus & digiti fortes, opportuni sunt. Admodum breves manus, dementem notant.

Crassæ manus & exiguæ, si digitos ultra modum breves habeant, tergiversatorem, insidiosum, & furem indicant. Manus tenues & intortæ, loquacem hominem demonstrant.

Vngues albi, lati, subrubentes, optimi ingenii dant indicium. Angusti autem curvique & oblongi, stoliditatis & feritatis indices sunt. Qui inflexi nimium & curvi sunt, impudentes & rapaces sunt: refertur ad aves & feras quæ violentæ sunt.

De maculis albis unguium quid significent, vide Cardanum De subtilitate, ex impressione Basileensi.

Vngues qui impressi sunt, & nimium adcorporati, magis feri, & magis stolidi sunt.

Nimium breves ungues & nigri, malignum hominem declarant. hoc idem significant pallidi & nigri & asperi.

Vngues

Vngues qui perrotundi sunt, in Venerem prompti sunt, incestuosumque testantur.

Hæc signa quæ unguibus attributa sunt, per semetipsa non satis idonea. Verùm conjuncta potioribus, nonnullam habent efficaciam.

Digiti cum conjuncti sunt, & cohærent, immundum hominem significant. Qui conjecti sunt & conglobati malignum & avarum indicant. Parvi & tenues, stultum.

Parvi & crassi digiti, invidum, audacem, ferumque hominem declarant.

Valdè verò parvi subtilesque digiti, dementis naturæ nugacisque ac remissi animi hominem testantur.

Nimium prolixi & nimium tenues longè à sapientia sunt.

Qui immoderato spacio inter se distant leves & loquaces ostendunt. Qui autem moderatæ magnitudinis sunt, & honestæ speciei & mores optimos indicant.

Tenue pectus, & invalidum est, & animi imbecillitatem significat. Quod autem congestum est carnibus, indociles & ignavos indicat.

Quibus mamillarum partes inertes pependerint, & totum pectoris spacium vastum carnosumq; & laxum fuerit, tales omni dubio procul mœchos, nimioque vino gaudentes judicato.

Quibus mamillæ dependent, & molli carne circundatum pectus est, vinolentiam & intemperantiam Veneris assignat.

Qui humeros commovet, dirigit tamen collum atque erigit, superbus atque insolens rectissimè judicabitur: est enim talis equorum incessus, figura etiam erectus, iracundus est.

Qui autem omni corpore moventur, manifeste atque evidenter effœminati sunt. Ex his tolerabiliores sunt, qui cum moventur, corpus inclinant ad dextram partem. stultiores autem sunt, qui corpus declinant ad partem sinistram,

De

De anhelitu & aliis nonnullis. CAP XXII.

CVm quietus est spiritus, ita ut nullum, aut pertenuem præbeat sensum, incurrens ac recurrens, in cogitatione constitutum hominem declarat: has cogitationes fere & oculi indicabunt. Cum spiritus interdum conquiescit, longo autem post intervallo nimius trahitur, in magna tristitia indicat hominem constitutum. Cum autem etiam caput quatit, & ingemiscit, precium rei à se malè gestæ, & malè dictæ continet. Spiritus cum mugit & granditer concitatur atque editur, feritatem & vinolentiam indicat.

Spiritus qui quasi per intervalla fertur, sine strepitu procedens, optimam hominis fortitudinem indicat.

Quorum anhelitus ita perturbatus ac spissus est, sicut post cursum esse homini solet, inconsulti & iracundi sunt, quibus omne sit actu, atque dictu facilè & satis promptum.

Spiritus quibus concitatus tanquã asthmatici agitatur, hos consilio carentes, perverso animo, omnium rerum cupidos, verbosissimosque censebis.

Hæc in omnibus signis tenenda est regula, ut nimietatem ad malam partem accipias, medietatem ac temperamentum optimum judices.

Aristoteles dicit, eos qui cum ambulant calceaneis introrsum, pedibus autem forinsecus conversis incedunt, posteriora sectari. Invidos etiam, qui sinistras partes majores habent, & quibus supercilia ad genas detracta sunt.

Idem dicit, suras cum retractæ sunt ad genua vel suffragines, indicare hominem qui ad coitum facilis sit & velox. Cum hispida nimium sunt femina, & curva, pronos in Venerem ostendere: refertur hoc ad capros.

Idem dicit, nates sicciores viriles esse, nates amplis carnibus, effœminatum ostendere. Nates tanquam abscissas malignitatis esse signa: refertur hoc ad ursum & simiam.

Impudens homo ita esse debet. Oculis motu concitato patentibus, lucidis supercilia extensa crassaque, palpebris plu-

plurimùm separatis, crassis pedibus & manibus contra intuentes altius se erigens, rubicundus vel fulvo colore, vocis acutæ hujusmodi impudens injuriosusque est.

Dissimulatoris ac contraria consulentis indicia. In dissimulatione oculi imbecilles visuntur, aspectu eleganti est: vocem submissam edit: versatili incessu utitur, ac semper sese concinno motu adaptat.

Indicia avari hominis: hominem pecuniæ studiosum & avarum ex his signis deprehendes (nisi citius ex effectu & tuo damno cognoveris) Qui membris parvis, facie exigua, atque oculis modicis fuerit præditus, qui gressu concitato fertur, qui dorsi recurvi est, celeri sermone, & acuta voce utens, colore subruffo, dicax, ebriosa facie, densas comas, barbam protensam, labia densis obsita pilis, tempora densa, oculos supplices, nitentes, atque undantes ostendit, comam nutriens, ac vino deditus.

Quò fatuum ac improbum agnoscere queas (quem etiam ex sermone ac moribus non difficile est cognoscere) hæc signa sunt. Is capillos extensos habet, caput rigidum obliquum: aures prægrandes, languidum collum ac cervicem, malleolos in pedibus rotundos, frontem duram & asperam: oculos tenebricosos, parvos, siccos, concavos, intentè visum dirigentes: genas angustas, oblongasque mentum longum: ore loquaci & soluto est, patenti, quasi bifido: facie oblonga quasi corrupta: incurvus, ventricosus, crassis cruribus, manuum pedumque articulis oblongis, asperisve, colore subviridi, sic ut à somno vel crapula excitatus videatur, vocem balantem, turpem, exiguam, insolentem edit.

Simulatoris est, cujus ea quæ sunt circa faciem pinguia sunt, ut maxillæ & cætera. Et quæ circa oculos rugosa, ut palpebræ, & facies somniculosa.

Philodori, id est munerum amatores, inquit Aristoteles, sunt quibus labium superius sursum elevatur, ita ut dentes & gingivæ appareant, ut in canibus: & figura & vultu sunt immodesti, & superrubicundi.

Homo hirsutus, capillis nigris directis, hirsuto ore ac mento

mento & temporibus, oculis pinguibus relucentibus, furiosus, erit pronus in libidinem, studiosus pantomimorum, & maledicus.

Sic inquit libro duodecimo De subtilitate egregius Cardanus Mediolanensis medicus & philosophus, ut non omnes multi improbi sunt, ita non omnes qui corpore sunt non vitiati, integris sunt moribus: nam plus exigitur ad formandum absque culpa animum quàm corpus. Itaque pessimi sunt omnium gibbi (nisi passio hæc ob membrorum humorem proveniat) cum error sit circa cor principium totius corporis: pòst cæci strabique quod circa cerebrum natura deliquerit. Inde muti surdique. nam in minus nobili cerebri parte natura defecit. inde claudi hos sequuntur, qui in magno membro sunt vitiati. post quos sedigiti, & qui digitos habent junctos: nam in minus necessariis aberravit. Vltimus locus est verruccis ac vestigiis quæ cicatrices æmulantur.

Idem alibi dicit, præcipuum signum dignoscendi gemellos esse, quòd cavi sunt dorso, osque sacrum intus sit retractum: Septimestres autem cognosci, quod ungues habeant imperfectos cutimque haud expolitam.

Reliquarum partium judicium, & judicandi modus.
Cap. XXIII.

PEctoris latitudo, & humerorum grossicies & tergi probitatem & audaciam significant cum retentione intellectus & sapientiæ.

Tergi verò subtilitas significat discordantis naturæ hominem. Pectoris mediocritas & tergi æqualitas signum est optimum & appropriatum. Laxi humeri infirmitatem animi & timiditatem ostendunt.

Ventrem habens magnum, est indiscretus, stolidus, superbus, amans coitum.

Quibus spacium ab umbilico ad pectinem majus est quam ab umbilico ad pectus, hi brevis vitæ sunt.

Quicunque autem majus habent id quod ab umbilico ad pectoris imum est, quàm quod ab imo pectoris ad collum, voraces sunt & insensitivi.

Ventris mediocritas & strictura pectoris, significant altitudinem intellectus & bonum consilium, vide cap. XX.

Pedes carnosi grossique signant fatuitatem & amorem injuriæ.

Tibias habens articulatas, nervosas & robustas, est animo fortis; habentes tibias graciles nervosas, sunt venerei. Tibias valde carnosas ac superfluas, quasi admodum diruptas habentes, sunt odiosi & inverecundi.

Multitudo carnis in genubus signat debilitatem & molliciem virtutis, cynædosque.

Cujus passus lati sunt & tardi, ut plurimum prosperabitur in operibus suis & factis. Cujus verò passus breves, est impetuosus & impotens, & in operibus malæ voluntatis.

Quod autem ad totum corpus breviter spectat, Plinius & Solinus terminos longitudinis ac latitudinis humani corporis nondum descriptos esse testantur. Verùm physici longitudinem humani corporis naturalem septem pedum esse asserunt: quòd Hercules intra hunc terminum esset compertus. latitudinem autem totidem: nam quantus manibus expansis inter longissimos digitos modus est, tantum esse constat inter calceum & verticem, hac ratione etiam hominem mundū parvum appellarunt, quòd si circulus fieret, esset perfectè sphæricus: quare qui hanc longitudinem excellit, hic longus corpore dicitur: qui verò ab hac deficit, parvus est. Cujus autem longitudo ac latitudo non sunt æquales, is incompositus est. Semper igitur partium vel totius quantitatem respectu medii, & ad totius mensuram referre oportet.

Ille denique est bonæ memoriæ beneque compositus in natura, qui carnes habet molles, humidas, mediocres inter asperitatem & lenitatem: non nimis longus nec nimis brevis, albus declinans ad rubedinem, vel non ad nigredinem multam: mitis aspectu: capilli plani mediocres: magnorum oculorum declinantium ad rotunditatem: mediocris & mensurati capitis cum magnitudine colli bene dispo-

dispositi æqualiter: cujus humeri parum bene declinant: carens in cruribus, & genubus nimia carne, claræ vocis temperata subtilitate: modici risus, & non deridens: cujus aspectus est quasi commixtus ex lætitia & jucunditate.

Non tamen oportet te præcipitare sententiam, & judicium tuum in uno istorum signorum, sed collige testimonium universorum: & cum tibi dant diversa signa & ad diversa, declina semper ad meliorem & probabiliorem partem. nam complexio totius ex complexione partium resultat. Tunc etiam per unum signum possumus arguere affectum, quando in eodem homine non invenitur contrarium æquale. Signa verò propria in eodem contraria inveniri est impossibile. de communibus autem alia ratio. At tunc majora minoraque de quopiam ventura fore prænunciabis, quanto cujuspiam facta moresque latius certiusque noveris, hac via videlicet observata: verbi causa: Eos qui pernicioſe vivunt, truculenta pœna mulctari vel saltem cum ob favorem, tum ob infortunium aliquod torqueri, incarcerari affligive debere: cùm maxima ex parte id eveniat. Si quis item (exempli causa) iracundi nota signatur, & si tunc ira minime ipsum occupet, iræ tamen illum passionibus premi credendum est: idem & in aliis judicii erit. Hoc etiam ut axioma hac in arte habeto, membri cujusque bonam & idoneam formationem, signum esse bonæ formativæ & roboris. intellige membrum parvum vel magnum respectu sui corporis. Formæ bene constitutæ, virtus, male verò ordinatæ, vitium convenit.

Manifestiora verò signa sunt quæ in principalissimis locis fiunt: principalissimus autem locus est qui circa oculos, & frontem, & caput, & faciem est. Secundus autem qui circa pectus & humeros; deinde circa crura & pedes: ultima, quæ circa alvum. Vniversa verò difficultas ex judicio pendet, ut etiam in astronomia, & medica facultate. Animadvertendum (ut supra etiam innuimus) signa bifariam esse, alia propria, quæ cum passionibus indicatis convertuntur, à quovis sumantur loco, ut magna extrema habere

bere signum proprium est fortitudinis: quædam autem non propria, quæ accipiuntur ab apparenti passione vel à contrario, & cæteris hujusmodi, nec convertuntur eum passionibus, ut in pluribus tamen illas ostendunt. Galenus 2. De temperamentis Physiognomones errare asserit circa judicium ob multas causas: primo quia uni signorum fidem præbent, quod fatuum est, nisi fuerit proprium, ut supradictum. Vnum enim signum ab una corporis particula sumitur, ex natura autem unius particulæ non resultat natura universi hominis. Secundò quia ad naturæ ac ætatis permutationem aliquando non spectant: nam signa interdum naturam præteritam denunciant, non præsentem: ut si sexagenarius pilosus sit, non præsentem libidinem, sed præteritam denunciat. Tertiò, quod excrementa membri arbitrantur semper arguere membri naturam, cum tamen contingat membri naturam esse cholericam, cujus excrementa erunt phlegmatica, ut docet experientia. Quartò quòd quæ fortia, quæve debilia sint, non discernunt. Sint igitur de electione, residua hæc præcepta. Primum, signa quæ mores significant non per qualitates sed per proprietates, potiora sunt, & primo loco habenda: ut si ponamus Socratem ex signis à qualitatibus sumptis esse liberalem, utpote colorem rubrum, & per alia sanguinis signa: signis verò sumptis à proprietate esse avarum, ut quia ejus humeri difficulter soluti sint, vel quia ejus facies parvifica sit, judico per signa quæ à proprietate sumuntur Socratem esse illiberalem, quoniam potiora sunt, cùm sequantur materiam, quæ est causa necessaria, & quidem magis quàm forma. Secundum, signa quæ accipiuntur à capite vel ab ejus partibus, potissimum, ab oculis, potiora sunt his quæ ab aliis accipiuntur: unde Apuleius, totus homo in capite vultuque est, quoniam ibi ratio: potissimum verò ab oculis, qui ut inquit Galenus, sunt cerebri pars aut de ejus substantia producti: postea successivè pari ratione de aliis. Dixere etiam nonnulli, signa quæ ab anteriori corporis parte accipiuntur, semper potiora his esse quæ à posteriori colliguntur: unde & Hippocrates primò in-

firmi faciem notat. Alii signa potiora esse dixerunt quæ accipiuntur ab his membris per quæ exercetur passio, ut signa quæ ex pectore & costis ad iram signandam, quæ in corde exercetur intra partes eas sito. Rursus quia per coxas, pedes, brachia, & humeros exercetur fortitudo, ideo signa pro fortitudine ab his accepta, potiora sunt. Ita de aliis pari ratione & modo.

BREVISSIMA TABVLA SIGNORVM ET NATVRARVM, QVÆ IN libro fusius ac distinctissimè tractantur.

CAPVT.

Magnum. Hebetes, ad asinos refer. Minutulum. Fatui. Canes. Mediocre boni sensus, naturale. Acutum pineatumque, inverecundi, jactatores, ungui curvi. Breve globosum, insipientes, immemores. Pressum in superficie planum, omni vitio pleni. Oblongum ut malleus, prudentes, sagaces. In anteriori parte concavitas, dolosi, iracundi.

AVRES.

Parvæ, scurriles, simiæ. Magnæ, Hebetes, asini. Flaccæ, stolidi, asini. Moderatæ, boni sensus, naturale. Rotundæ, indisciplinabiles. Longæ angustæ, invidi. Valde capiti hærentes, malevoli. Pilosæ, benè audientes.

FRONS.

Valde parva, indociles, mobiles, sues. Valde magna, tardi, boves. Rotunda, hebetes, insensati, iracundi, asini. Aliquanto minus plana, sagaces, canes. Quadrata formata, magnanimi, leones. Tensa lucida, adulatores, canes, blandientes. Nebulosa, audaces, leones, tauri. Demissa, tristes, passio. Longa, adulatores, canes. Elevata, liberales, leones. Nimis rugosa, inverecundi. In temporib. inflata, superbi, iracundi, ingenio rudes.

OCVLI.

Parvi, pusillanimi, simia. Magni, pigri, mansueti, boves.

boves. Concavi, malefici, invidi, simiæ. Eminentes, fatui, asini. parum concavi, magnanimi, leones. Grandiusculi parum eminentes, mansueti, boves. Valde aperti, impudentes. Anguli justo longiores, malefici. Anguli carnosi narib. juncti, malitiosi. Oblongi oculi, callidi, deceptores. Magni tremuli, mulierum cupidi, passio. Parvi tremuli pudentes, amatores tamen. Quanto major, tanto minor malicia, stultitiaque major. Obliqui, contorti, fallaces, tenaces, iracundi. Crassi, stolidi, timidi, pusillanimi, inverecundi. Differmiter moti, nunc currentes, nunc quiescentes, temerarii, cogitabundi, pessimi, subtractores. Palpebrizantes, timidi, passio. Oculi velociter moti cum visu acuto fraudulenti, latrones, infideles. Fixè intuentes cogitabundi & deceptivi. Secundum longum situati, monstrosi, deceptores, invidi. Vesiculæ oculis exeuntes, vinolenti, passio. Vesiculæ ante oculos eminentes, somnolenti, passio.

NASVS.

Extremitates nasi crassæ, concupiscentes, boves. Extremitates crassæ, eversæ, insensitivi, segnes, sues. Extremitates acutæ, sanæ iræ, canes. Rotundus extremitatibus obtusis, magnanimi, leo. Rotundus extremitatibus gracilibus, mobiles aves. Incurvus à fronte ductus, inverecundi, leves, corvus. Curvus in fronte dearticulatus, aquilinus, magnanimi, aquilæ. Simus libidinosi, cervi. Patens apertus, iracundi, passio. Longus ad os protensus, probi, audaces.

LABIA.

Gracilia relaxata, magnanimi, leones. Gracilia dura, iracundi, sues. Gracilia mollia, magnanimi, leones. Crassa, superius propendulum, fatui, asini. Superius eversum gingivis discoopertis, contumelioši, canes.

FACIES.

Carnosa, pigri, boves. Macilenta, curiosi, à contrario. Magna carnosi, timidi, asini, cervi. Faciei tergus parvum, pusillanimi, elurus. simia, Magna facies, tardi bo-

nes, asini. Parvifica, illiberales, superapparentia. Deorsum spectans, hypocritæ, maligni. Plane sine tumore, rixosi. Vultui ebrii, superapparentia. Similis vultui irati iracundi, superapparentia. Similis vultui verecundi, verecundi superapparentia. Deformis & obtorta, male morati, superapparentia. Longa, inverecundi. Ex levi causa sudans, astuti, libidinosi, edaces. Valde minuta rotunda, simplices. Longa macilenta, audaces. Valde curva longa macilenta, malitiosi, utiles. à fronte ad maxillas ad mentum angustior, invidi, rixosi.

MENTVM.

Acutum, fideles canes. Parvum breve, invidi, immites, serpentes. Quadratum, virtuti apti. Longum versus deorsum acutum, versipelles. Rotundum, molles fœminæ. Caro sub mentum versus gulam, libidinosi. Mentum cum fovea vel duplex, libidinosi.

BARBA.

Mulier barbata, luxuriosa. Mulier cum barba valde nuda, bene morata. Barba nimis pilosa, melancholici. Bene formata, bonæ naturæ, causa naturalis. Informis, malæ naturæ, per contrarium.

COLOR OCVLORVM.

Superrubescens, iracundi, passio. Per nigri, timidi, coloris proprietas. Nigri flaventes, boni animi, decentia. Glauci aut albi, timidi, coloris proprietas. Fulvi, boni animi, leones. Ignei, inverecundi, jucundi, canes. Discolores, timidi, passio. Lucentes, luxuriosi, galli, corvi.

COLOR FACIEI.

Superrubescens, verecundi, passio. Genæ superrubescens, amatores vini, passio. Genæ & nasus rubore epatico, obscœnissimi.

COLOR PECTORIS.

Flammeus, iracundi passio.

COLOR TOTIVS.

Valde niger, timidi, Aethiopes. Peralbus, timidi, mulieres. Fuscus, fortes, mediocre. Flavus boni animi, leones. Valde

Valde rubeus vel rufus, astuti, ingeniosi, vulpes. Pallidus turbatus nisi ex ægritudine, timidi, passio. Mollinus, tardi causa naturalis. Flammeus, maniaci, aperti, iracundi, passio. Pallidus non ob studia bona, vitiosus, malignus.

COLLVM.

Crassum, frontes, masculi. Gracile, debiles, fœminæ. Crassum carnosum iracundi, tauri. Moderatum, magnanimi, leones. Longum gracile, timidi, cervi. Perbreve, dolosi, lupi, catti. Quæ circa colli clavem bene soluta, sensitivi naturalis causa. Confusa, insensitivi, nat. causa.

PECTVS.

Magnum formatum, fortes, masculi. Amplum compactum, fortes, leones. Cum pilo, instabiles, animosi, aves. Sine pilo, inverecundi aut timidi, fœminæ. Carnosum valde, indisciplinabiles, ignavi. Interstitium à jugulo ad ventriculum majus quam abimo pectoris ad umbilicum prudentes. Mammæ pingues deorsum pendentes in viris, molles, effœminati. In pectoris sinistro caro crassa elevata cum porro aut nervo cum uno aut pluribus pilis, honoris divitiarumque argumentum, ut inquit Ptolomæus.

METAPHRENVM.

Magnum non carnosum formatum, fortes, masculi. Parvum non carnosum informe, molles, fœminæ. Curvum cum humeris ad pectus, mali moris. Supinum molles, dementes, equi.

HVMERI.

Formati magni, fortes, masculi. Parvi informes, molles, fœminæ. Bene soluti, liberales, superapparentia. Non bene soluti, convulsi illiberales super apparentia. In acuto elevati insidiosi. Lati, fortes, intellectivi. Graciles, insensitivi.

MANVS.

Copulati digiti, immundi, sues Curti & crassi, temerarii, immanes.

VNGVES DIGITORVM MANVS.

Lati albi subrufi. Viriles. Augusti oblongi feri. Obli-

qui, impudentes, rapaces, rapaces aves. Exigui, veteratores. Plani, albi, molles, subtiles, subrubei, lucidi, ingenio apti, causa naturalis. Asperi rotundi. Venerei, ad proprietatem. Pravi, curvi, rapaces. Puncta alba unguium, bene nati causa naturalis. Puncta nigra invidi, ad causam naturalem.

VNGVES ET PEDVM DIGITI.

Digiti pedum & ungues curvi, inverecundi, aves. Subtiles ungues bene colorati, bene nati, naturale. Conjunct digiti, pavidi, coturnices.

PEDES.

Nervosi magni articulati, fortes, mares. Stricti parvi, molles, fœminæ. Pars interior plantæ non concava, sed ita plena ut terram toto vestigio tangat, versuti, causa nat. Aristot. in 1. Histor. Crassi atque carnosi, fatui, causa nat. Crassi & breves imbecilles, causa nat. Graciles breves, maligni, causa nat. Nimium prolixi, dolosi, causa nat. Carnosi duri, hebetes, causa nat. Parvi pulchri, fornicatores, proprietas signi.

TALVS.

Nervosus articulatus, fortes, mares. Carnosus informis molles, fœminæ. Latus, fortes, causa nat. Tali partes longæ carnosæ, stulti proprietas. Calcanea gracilia, timidi proprietas.

CRVRA.

Nervosa crassa articulata, fortes, mascul. Nervosa subtilia libidinosi, ad aves. Crassia informia, inverecundi ad superapp. Tibiarum suræ crassæ, intemperati. Tibiarum ventres molles, effœminatissimi. Tibiæ graciles, ignari, fallit in doctis multis. Suræ pleniusculæ veluti gravidæ, sordidi. Moderatæ magnæ formatæ, ingenioſi.

GENVA.

Genu crasse, cynædi, ad superapparentiam. Genua subtilia, timidi, ad superap. Genua arcuata in anteriori, effœminati, mulieres. Pinguia, timidi, liberales. Macra, fortes, audaces.

CO-

COXAE.

Nervosæ, fortes, ad marem. Carnosæ molles, ad fœminas.

PECTEN.

Pilosum valde, libidinosi & fœcundi, naturalis causa. Pilis ferè nudum, casti ad causam naturalem.

NATES.

Acutæ osseæ, fortes, ad marem. Carnosæ pingues, molles ad fœminam. Carne exsiccatæ, mali moris, ad simias.

LVMBI.

Lumbosi, ferarum amatores, leones, canes.

ILIA.

Ilia vel hypocondria gracilia & pressa, timidi, ranæ. Carnosa, indisciplinabiles.

ANCHAE.

Ossa prominentia extra, fortes, masculi. Gracilia, timidi, debiles, mulieres.

VENTRICVLVS.

Quæ circa ventriculum pingua, fortes, mares. Non pinguia molles, mulieres. Venter magnus prominens extra edaces. Parvus formatus, mente dextri. Pilosus valde umbilico infra, loquaces, aves.

DORSVM.

Angustum, informe, molles, fœminæ. Magnum formatum fortes masculi. Amplum fortes, arrogantes, irreverentes. Curvum immorati. Aequale formatum, commensurati naturale.

COSTAE.

Bene costati fortes, masculi. Angusti & non costati molles fœminæ. Costati circumtumidi ut inflati, loquaces, stultiloqui, boves, ranæ.

VMBILICVS.

A pectore imo ad umbilicum interstitium longum, insensibiles, voraces, ad naturalem causam. Aequale, laudabiles, naturale. ventriculus ab umbilico ad pectus car-

nosus, malevoli, Palemon. Mollis & compressus, magnanimi, magnifici.

DENTES.

Canini, longi, firmi, gulosi, irascibiles, mali, canes, apri. Crassi lati, vani, lascivi simplices, boves ignari, hebetes, asini.

PILOSITAS PARTIVM.

Tibiæ pilosæ, Venerei, hircus. Pectus & alvus valde pilosæ, mobiles in opinionibus, aves. Pilosi humeri, in opinionibus mobiles, aves. Dorsum valde pilosum, asperi belluæ. Cervix sive collum à tergo pilosum, liberales, leones. Supercilia conjuncta, tristes, passio. Supercilia ante nasum demissa, ad tempora extensa, fatui, sues. Erecti capilli, timidi passio. Valde crispi, timidi. Aethiopes. Crispi in extremis, fortes, leones, in superiori parte frontis elevati, liberales, leo. Plani capilli, simplices. Capilli multi & densi pravi.

INCESSVS ET MOTVS.

Tardus longus, consulti & efficaces. Tardus brevis, consulti in efficaces Longus velox efficaces inconsulti. Brevis velox, inconsulti inefficaces. Humeris incurvatis ambulantes, animo elati, leo, Pedib. & crurib. conversis ambulantes, molles, fœminæ. Corporibus se circuntorquentes atque fricantes, adulatores, passio. Inclinati ad dextram ambulantes, cynædi, super app. Oculi satis mobiles, acuti raptores, accipitres. Oculi frequenter moti cum corporis fixione, intellectivi passio.

VOX.

Magna gravis, injuriosi passivè, asini. A gravi incipiens in acutum desinens, iracundi lugent, boves. Acuta mollis rupta, cynædi, mulieres superapp. Gravis alta, valde iracundi, validi canes. Mollis sine contentione, mansueti, oves. Acuta fortis insani, capræ.

STATVRA.

Parvi, veloces, nat. causa. Arist. Valde magni, tardi, nat. causa. Parvi calidæ ac siccæ naturæ. nihil proficiences, natur. causa. Parvi frig. naturæ perfectivi, causa nat.

Magni

Magni frig. nat. nihil perficientes, nat. causa. Magni calidæ nat. perfectivi, sensitivi. nat. causa. Incommensurati & informes, astuti & pravi passio. Commensurati boni & sensitivi naturale.

Illud autem in universum memineris, hæc potissimum valere in hominibus animalibus, videlicet non regeneratis ex Dei spiritu & gratia: nam in talibus verum est illud de natura in Adam depravata, quòd naturæ sequitur semina quisque suæ. Qui verò ex spiritu sancto regenerati sunt, carnem suam mortificant cum vitiis & concupiscentiis, quamvis concupiscentiæ & peccati fomes remaneat, ac in plurimis ad actum deveniat heu nimium sæpe.

TEMPORUM MUTATIONES CERTÆ EX PRÆDICTIONE RERVM QVÆ IN AERE, TERRA, AVT AQUA sunt aut fiunt, breviter & clarè, ordineque alphabetico descriptæ, per Gulielmum Gratarolorum Bergomatem medicum physicum.

A.

ANIMANTES omnes natura mutationes temporum sentiunt, quoniam naturali quodam instinctu ex impressione corporum cælestium producto moventur pro ratione dispositionis aeris ad temporum cognitionem, ut necessarium est suis naturis, super illud Hieremiæ capite octavo: Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui. Animalia enim minus occupata & corpore imbecilliora, mutationes temporum præsentiunt.

Aves parvæ in hyemis initio, magna in multitudine congregatæ, in campo cibum quærentes signum dant

magni frigoris, gelu, & validarum tempestatum.

Aves marinæ si alas in littore maris non expandant, signum est serenitatis: & si à pelago aves fugerint, hyemem significat.

Aves mundantes pennas suas rostris, signant pluviam.

Aves colētes arbores, si ad nidos fugiant, pluvia signant.

Aves aquas dulces colentes, si lavent se & in aqua ludant agitando alas, pluviam notant.

Aves communiter cùm strepitum faciunt aliis majorem quàm soleant, futuram pluviam ostendunt.

Aves fluviatiles relictis undis prata quærentes, pluviam denotant.

Aves albæ non consuetæ apparentes, tempestatem magnam arguunt: quemadmodum & nigræ, si multæ apparuerint, signum dant aquæ.

Aves terrestres cùm clamorem dant circa aquam, ultra solitum se balneantes, pluviam significant: quia earum complexio delectatur aqua, & gaudent præcognitione elementi mutati ad pluviam.

Anseres continuo clangore vociferantes & volantes, tempestatem signant.

Ardea avis, quæ & erodios Græcè, Germanicè reyer, Gallicè heron, altius volans, serenitatem denotat: & in mediis arvis tristis manens, pluviam.

Anas domestica si subsistens quatiat pennas, aquam portendit: simpliciter quatientes, ventum prædicunt.

Aquatica volatilia, ut anates, & alia, si in principio gelu quærant aquas magnas incongelabiles juxta mare, signum magnæ durationis gelu extat.

Apes quando non volant longè, sed in eodem in serenitate convolant, tempestatem futuram notant.

Arietes ultra solitum salientes, si capitibus concutiant se, tempestates demonstrant.

Aselli se vertentes fricando ad terram dorsa sua, indicant magnas pluviæ guttas.

Asinus quatiens aures, tempestatem indicat.

Aranearum telæ multæ, latæ, ventum aut tempestatem

tem significant: cùm per aerem feruntur, ventum nunciant.

Aquam quæcunque significant, & tempestatem ducunt: si autem non aquam, nivem & tempestatem.

Aqua pluvialis quæ ceciderit, si citò desiccetur ultra solitum absque vento, pluviam indicat magnam.

Aqua stagnans si ultra solitum calidior fuerit, absente sole magnam pluviam notat.

Aqua si alicubi scaturiat, ubi non solebat aut uberius solito, pluviam grandem indicat.

Aquæ hyemales si ut frequenter fiant, ver ut plurimum fit siccum: si autem sicca hyems, aquosum erit ver.

Arcus seu iris apparens aere existente sereno, pluvias portendit: cùm verò arcus extulerit se temporibus pluvialibus, serenitatē significat, ut Ptolemæus inquit: habet enim nonnihil calidi & frigidi pluviosi, calidū in sereno signat elevari, & econtra in pluvioso. fit enim arcus à nube rorida sparsa. In diversis tamen locis diversa significat: à meridie enim ortus, magnam aquarum vim vehit, notat siquidem magnam aquarū vim esse in aere, quæ in meridie dominari possit. Si circa occasum refulserit, tonabit & leviter pluet: si ab ortu circa vesperum surrexerit, serena promittit. Quo magis arcus fuerit viridis, tanto magis pluvias portendit: si verò magis rubeus, ventorum indicat flatus: qui à tranquillo aere apparuerit, pluvias & ventos indicat: Sin autem hyemale aere apparuerit, per ventos & pluvias breves, aeris claritatem indicat. Iris circa lunam aut lucernam apparens, australes significat aquas: & si duæ perpendiculares irides fiant, & una quidem ab Austro, altera à Borea, & halo similiter, aquam significant.

Iride apparente, non potest esse diluvium universale usq; ad magnum tempus. Est enim fœdus (ut Moses Ge. non scribit) quo apparente Deus homini promittit non futurū universale diluviū. Poetæ hoc haud ignorarunt, cum iridē fingunt Deorū nunciam. Virgilius: Irim de cœlo misit Saturnia Iuno: nā ab ἔριδι venit, quod nunciare significat. In iride. n. duo sunt colores, rubeus & viridis: Rubeus ex humido in-

do inflammato sit, significatque aqueum elementum non omnino prævalere igneo, cum ignea natura in iride nonnihil sui habeat, Viridis autem color causatur ex aqueo incocto, ac ideo signat naturam igneam non omnino aquæ prævalere simili ex causa: quare apparente iride, nec conflagratio nec diluvium, nisi multo post tempore, fieri potest, videlicet cum altera natura alteri prævalebit penitus: quamobrem tradunt nonnulli sacri scriptores, quadraginta annis ante judicium non visum iri arcum, ratione in D. litera inferius scribenda: sed hic physicè loquor: nam secus, credo diem illum & annum palàm haud futurum, ut simus parati, &c.

B.

BOves contra pilum se lambentes, pluviam indicant. Incipiente pluvia, si boves fortiter comedant, pluviæ durationem signant. Bos anteriorem pedem mordens, tempestatem aut aquam significat: si autem in cœlum respiciens olfacit, aquam portendit. Boves magis solito comedentes, & in dextram jacentes, tempestatem indicant. Bos in sinistram coxam jacens, serenitatem indicat.

Buffones vel rubetæ, extra cavernas proprias vespere gradientes, magni in quantitate corporum, & multi numero, pluviam monstrant.

C.

CAtus seu felis, pedum priorum illinctu, caput cum interscalpulo pectinantis in modum & abluentis, si diu palpaverit, pluvias ingruere non ineptè commonstrabit.

Corvi stantes contra solem, si rostra aperiant, calorem significant. Corvi singultu quodam si latrent, rumoremque in exercitu volantes faciant, quatientes alis propriis plus solito, pluviæ signum dant. Corvus si depediculetur se super olivam, aquam significat.

Coturnices, referente Solino, austro flante, nunquam exeunt, flatum humidiorem timentes: aquilonі se credunt, cujus siccitate ac vehementia facilius provehuntur.

Cor-

Corvus si in serenitate non consuetam vocem habuerit, & supervociferaverit, aquam significat.

Corvi sive monedulæ si sursum volent & clament ut accipiter, aquam signant.

Cornix, krahe germanicè, balneans se in aqua, & maxime in hyeme, & ultra solitum vociferans si spatietur in sicca arena, signum est pluviæ, ut inquit Virg.

Tum cornix plena pulviam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spaciatur arena.

Cornix super petram cantans, quam inundatio submergit, aquam significat.

Cornix si velociter bis aut ter clamet, tempestatem arguit: si mane clamaverit, serenitatem arguit: in vespere autem tempestatem, quietè cantans.

Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales:
Hunc optant nautæ, quia non se mergit in undis.

Canum intestina si murmuraverint, pluviam significant. Canis volutans se in terra, venti magnitudinem significat, in dextram coxam procumbens, tempestatem arguit.

Columbæ si vespere ad columbare tardius accedant quàm soleant, signum est pluviæ.

Cicadæ multæ factæ, morbiferum annum significant.

Caligo post pluvias, serenitatem.

Campanarum sonus longius auditus quàm soleat, significat pluviam, nisi sit ventorum causa.

Coopercula vasorum ligneorum strictiora solito, pluviam significant.

Calor in æstate intensior & magis pungitivus quàm solebat, pluviam citam significat. Aestate si minus tonat quàm coruscet, pluviam ostendit.

Calor inferius ad nostras regiones expulsus, futuræ nivis extat indicium: & ideo cùm ningere debet, aër offuscatur quadam alba tenebrositate: cum verò futura pluvia est, nigra quadam tenebrositate aer conturbatur.

Calor temperatus elevat vapores.

Coruscatio est pars aeris ex impetu aeris ignita & splendens.

dens. Fit autem post tonitruum, quia visus in instanti fit: auditus in tempore.

Coruscatio ab aquilone tantum, in posteram diem aquam portendit, & ab ea parte ventum validum.

Coruscatio ab Austro vel Favonio nocte serena, ventum & imbrem ab his partibus indicat.

Coruscatio aere existente sereno, significat calorem. Coruscatio juxta horizontem absque tonitruo, serenitatem ostendit.

Aestate vespertinæ coruscationes, aquam ante tres dies indicant.

Coruscationes quietant ventos, & quanto tonitrua & coruscationes fiunt validiores, tanto magis venti quietantur: vere autem & hyeme minus, si eadem signa.

Coruscationum magnarum tempore capiuntur anguillæ quàm plurimæ: quia tunc aquæ cavernarum in quibus illæ latitabant, redduntur amaræ, & nutrimento illarum inconvenientes, ac lutosæ subversæque propter descensum exhalationum ad illas, & sic fugientes capiuntur. Flores etiam & herbæ ea de causa arescunt.

Cœlum cùm plusquam solito plenum stellis videtur, vapores jam aerem ascendisse significat, & ideo pluvias effundet. Cùm multa ignium jacula in aere apparent ad modum stellarum cursus, qui sunt vapores igniti currentes & micantes stellarum luminibus, relinquentes post se caudam, ventorum flatum portendunt. quòd si fuerint tales vapores ex multis mundi partibus currentes, diversos demonstrant ventos, tonitrua & fulgura ex partibus à quibus vapores ignitæque trabes fluunt.

Serò rubeus cœlum, manè indicat esse serenum: cùm manè rubescit, ventus vel pluvia crescit. Cœlo sereno existente, nebula parva ventum procellosum dabit: facta pluvia, cessant venti celerius.

Cometes secundum Aristotelem, non est stella: sed creatur & fit ex exhalatione calida & sicca. Accenduntur autem vapores ita collecti in magnam molem, à motu sphærarum cœlestium, mediocri igneo principio, ita ut nec cito con-

conflagrent, nec perpetuo ardeant, effluentibus etiam aliis vaporibus ex terra. Cæterum quòd æstum faciant cometæ, facilè est judicare, cùm tam ingens multitudo & vis exhalationum in aere ardeat, per sex integros menses aliquando, ut Seneca testatur: brevissimum verò durationis tempus (inquit Plinius) septem dierum annotatũ est, maximum octuaginta. Cardanus dicit horum naturam mediam esse inter corpoream & imaginariam, ac in cœlo fieri. Significant autem secundum ipsum Aristotelem, tempestatem ventorumque intemperantiam. nam sive uno sive pluribus apparentibus cometis, ventus magnus semper emergit aut duratione, aut magnitudine. Quod autem portendit uredines & siccitates, testantur historiæ, & ratio persuadet. Cumque siccitatem in aere magnam significet, nil mirum si etiam quæcunque sunt consequentia portendat: sunt verò hæc, penuria, sterilitas & fames: est enim siccitas noverca fructuum terraque nascentium, aliquorum magis, aliquorum minus, ut rusticis quoque notũ. Ex his sequitur pestis. Quoniam autem ab humore sicco cùm in aere abundet siccitas, sequitur melancholiæ incrementum, ideo etiam manias, dæmoniacos morbos, rabiem canum, luporum & vulpium, & morbos ex cholera & melancholia: denique ut habet Aphorismus 7. tertiæ sect. Hipp. in siccitatibus febres acutæ fiunt: & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales plurimum morbos oportet expectare. Licet autem cometes mala homini significet, Deus tamen bona inde elicit: nam si moritur rex unus, fiet fortasse alter melior: si succedit pestis, renovatur mundus, vel corrigitur. Est item signum corruptionis aeris & destructionis terræ nascentium ob æstum, quo etiam accensabile & aliis corporum humoribus, facile ad iram homines provocantur, & ad rixas & contentiones. Virgilius describens civiles motus secutos mortem Iulii Cæsaris, inquit:

Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.

Est quoque signum terræ motus, bellorum, mutationis regni,

regni & etiam mortis communis hominum, & animalium viventium in calido & humido, & maximè regum, & principum, divitumq; magis quàm pauperum in illo climate ubi apparet, ob victus rationem diversam, &c. Arguit enim penuriam & defectum leguminum & segetum. Cometæ apparitio totum annum reddit suspectum, non autem solum tempus suæ apparitionis & durationis: potissimum verò minatur illi parti, versus quam radios suos dirigit, & omnibus habentibus signum pro ascendente, in quo talis cometa apparet. Si scire ulterius velis ubi detrimenta futura sint, locum ad quem tendunt: ibi enim prælia, seditiones, venti, sterilitates & morbi acuti erunt: atque si hæc in eclipsibus contigerint, proculdubio naturaliter eveniunt: ubi autem præter illas, non ita, nisi magnæ & crebræ fuerint. quid verò magis ex supradictis eventurum sit, ex cometarum ratione dicendum. De generatione illarum, varietate, durationc, ac locis &c. potes videre apud Cardanum in Commentario 53. lib. 2. De judiciis Ptolemæi: in nocte videntur pulcherrimè sub crepusculis: non ita in die, nisi potenti modo. Locus cometes facilè dignosci potest planisphærio: nam si in ariete, erit in Germania vel Britannia: & inspiciendo quò tendat cauda, hac poterunt distingui. Si diu fulgent, diuturnus erit effectus: Si matutinæ, celer: si parum, brevis. Non dico tamen cometam esse prædictorum causam necessariam, sed inclinantem. Frequentius autem circa septentrionem apparent: nec sunt unius & ejusdem formæ, sed multi & varii ac dispares magnitudine, dissimilesque colore.

Cardui echinus spinosus ex agris, ubi habitior factus est domum comportatus & in ædium tabulatis, camino vel contignatione, aut alibi appensus, horrentes aculeis, & patentes suas alas si clauserit, seque veluti in novum habitum pro tempore composuerit, venientis pluviæ signum renovabit, ut in Provincia omnibus notum est.

D.

DElphines, mehrschvvein Germanicè, tranquillo mari lasciviences flatum ventorum ex ea parte qua veniunt,

veniunt, significant: sed quando mare est turbatum, aquam si sparserint, signant tranquillitatem, inquit Aristot. Delphin super mare natans & superelevans se & immergens frequenter, aquam aut tempestatem denotat.

Diluvii signa recensurus, à remotis prius incipiam. Arescentia igitur & siccitas humidorum corporum signum est remoturi futuræ pluviæ: nam significant vapores humidos, qui sunt antecedentes pluviarum causæ, elevatos esse ac continuo elevari, donec vapores (sunt enim de natura aquæ) absentibus stellis calidis frigescãt ac inspissentur, & in causas pluviarum conjunctas tranleant. Sequitur hinc ex mente Theophrasti, nunquã fore diluvium universale nec particulare, quin in eadem regione vel sibi contermina ad minus per annum pluviæ omninò abfuerint: quoniam magnum effectum oportet causam magnam antecedere. non enim potest diluvium esse, nisi vapores multi & mãgni veluti antecedentes causæ præcesserint. Secundum signum & validius est, si cum antecedente uredine ac siccitate fuerit naturalium fontium siccitas: quò namque plurium fontium hæc siccitas fuerit, eò futurus imbrium excessus erit maior. Tertium adhuc maius si cum siccitate naturalium fontium, fuerit fluviorum aliquorum, vel plurium deperditio, in ea regione in qua hæc evenerint, diluvium esse futurũ significant, vel in sibi contermina. Quartum adhuc efficacissimum, si cum fontium ac fluviorum arescentia erit maris alicuius aut aliquorum, aut ex parte, aut ex toto diminutio, diluvium significat regionis, vel plusquã provinciale. Declaravit siquidem Aristoteles, maria nova fieri ex reliquis magnorum diluviorum: arescere verò denuo per regenerationẽ novorum diluviorum: per hunc enim modum probavit, quod nunc est mare, olim fuisse terram: & quod nunc terra est, multoties fuisse mare. Quintum si in æstate apparuerint iacula, trabes, dolia, cometæ plerumque magnæ, quo namque plures maioresque fuerint, hyemem significabunt diluviosam, vel magnis pluviis & imbribus abundantem, vel si nõ hyemem (ob propinquitatem) saltem ver tale fore de-

monstrabunt. Hujus signum fuere igneæ acies sanguinem emittentes, quæ anno Christi 570. apparuere: nam post has pluribus diebus, continuis imbribus tanta quæ vi auctus est Romæ Tyberis fluvius, ut magna populi strage humiliora loca submergeret: ac similiter aliis quibusdam in civitatibus & locis contigit. Sextum si æstate in cœlo aut etiam in terra hiatus, quos Græci chasmata vocant, frequenter pluribusque in locis apparuerint, hyeme sequente vel vere in ea regione diluvium portendunt; nam magnam vaporum copiam exhalationumque ad cœlum ascendisse portendunt: quæ demum in aquam vertuntur. Septimum si in cœlo voces, soni armorum, strepitus tubæ, aut sub terra vel è terra mugitus ut boum audita fuerint (ut in paludibus contingere posse Aristoteles probavit in Problematibus) in proxima hyeme diluvium præsagiunt, tanto quidem majus, quanto hæc pluries & pluribus in locis audientur: quoniam hæc à vapore multos & magnos elevatos esse ad cœlum, elevarique continuo, designant, qui pluviarum & illuvionum causæ sunt. Proxima verò signa & conjunctæ causæ plures sunt, de quibus in libro hoc particulatim diximus, quæ scilicet pluviam indicant, ut halo, iris seu arcus cœlestis propè orientem, luna vel sole occidente: & si nocte dieque pluries. Aliud signũ sunt duo soles, vel duæ lunæ, licet rarissime visi sint, cum tamen in austro spectantur, diluvium signant in die soles, in nocte lunæ. Significant enim vaporum ingentem multitudinem, imò ingentissimam esse in nubes pluviales conversam. Ex animalibus etiam verissima colliguntur signa, ac ferè impossibile est naturaliter fieri diluvium, nisi nova quædam animalia, quæ aut sub terra aut in sylvis, aut in aquis degebãt, præapparuerint, vaporum motu perterrita: quæ verò ab aquis victum quærunt, ex magna siccitate aquarumque inopia regionatim movebuntur, ut aquas quærant. Vnde fit ut terrestria è sylvis montibusque ipsis ad plana cultaque ipsa loca veniant, vocibusque horridis ac variis præ diluvii futuri metu langueant: ut de lapiis aliisque notum est. Sciendum tamen naturaliter universale diluvium fieri non posse: non enim fit nisi propter excessum imbrium in tota terra, modò sol nec per se nec vi alterius stellæ potest habere æqualem vim in tota terra, ut talem excessum faciat, nec potest esse universale, nisi universaliter nubes colligantur supra totam terram: at sub torrida zona non colliguntur, ergo universale esse non potest. oporteret enim ut sol absens esset ab omni regione. Noeticum diluvium fuit penitus supernaturale. Idem de universali conflagratione dico.

Desiccatio rerum in tempore hyemali & pluvioso subito facta, ut papyri & marmoris, signum est gelu.

E.

ERinaceus, echinus Græcè, igel Germanicè, vulgo erĩcius terrestris, facit duo foramina ubi habitat, unum versus Boream, aliud versus austrum: quodcunque horum obstruerit, ea ex parte ventum significat: si autem utrumque, venti arguit magnitudinem.

F.

FOrmicæ concursantes si ante ova gradiantur, signant pluviam. Formicæ in concavo loco existentes si ova extulerint ex centro ad circumferentiam, seu ex intus ad extra, aquam significant: si autẽ deorsum tulerint, serenitatẽ.

Fulica (Græce dicitur κίρκος, vulgo Italico follata sive follega) & anates tam sylvestres quã domesticæ quantientes alas, aquam significant: submergentes verò se, & alas quatientes, ventum præ se ferunt.

Favillæ ex lucerna, ventum significant aut aquam.

Fuligo cadens ab evaporariis magis quam soleat, pluviam significat.

Falx nigra quæ secuit herbas, pluviam indicat.

Fumus albus si elevetur (ante solis ortum & post solis occasum) supra aquas & paludes ac prata, colorem & serenitatem diei proximæ significat: si mane, ea die: si nocte, diem crastinam calidam indicat.

Fulmen est pars aeris collisione aliqua usque ad obstaculũ cum impetu veniens: vel est exhalatio calida & sicca à nubis lateribus violenter extrusa cũ impetu vel incẽdio.

Non est ergo fulmen semper lapidea substantia ut quidam asserunt: si enim lapidea substantia esset, non huc & illuc discurreret, nec rursum reverteretur: cumq; aliquod corpus feriret, carnem divideret, ossa confringeret. Est autem materia crassa, terrestris, vicosa, valde decocta & exusta, & sæpius in nigrum vel rubrum lapidem vertitur, aut lapideum fulmen: eius vero forma est, ut sit acutus altera ex parte, propterea quòd ad eam vapor primò inclinabatur cum decoqueretur: hic vero cadens à nube muros & arbores penetrat, nedum animalia, ut notum est. Si ergo exhalatio illa, quæ est fulmen, sit plus calida quam impetuosa, partes superficiales alterat sine interiorum partium læsione, quoniam propter modicum impetum moram sufficientem insuperficialibus partibus efficit, atque ita caliditas sine penetratione comburit pilos totius corporis sine vulnere. Sin autē fuerit valde impetuosa, sed crassa & multa, ac corpora quibus occurrit fuerint dura, illa frangit ad minutas partes: aliqua percutit cum vulnere, ruina, fissuris, ut in arborib. cernere est, at ubi hæc exhalatio fuerit æqualis quoad impetum & caliditatem, utrumq; facit, quoniam alterat & vulnerat. Plinius libro 2. cap. 53. fulminum plura genera facit: quæ sicca veniunt non adurunt, sed dissipant: quæ humida, non urunt sed infuscant: tertiū quod clarum vocant, mirificæ est maximæ naturæ. Ideo autem citius fulmen altā sternit, quia cum ab alto obliquando descendat, citius alta reperit. Sola vero exhalatio ea facit fulmen lædens, quæ crassa est, ideoque resolutione resistit, adeo ut in terrā cadat, antequam resolvatur. Cuius autem exhalatio tenuis, non pertingit ad terram. Effectus vero fulminum circa ea quæ contingunt, potius sunt admirandi, quam causa inde quærenda. Quis enim dignam inveniat causam quomodo fulmen integris & illæsis loculis aliquando conflat argentum: manente vagina, gladium liquefacit: circa lignum dilatatum ferrū distillat: quod facit nec ultra triduum ille rigor durat? Vinum quoque fulmine gelatum, cum ad priorem redit habitum, potatum aut exanimat, aut dementes facit. Sed cum Physicus sim, conabor effectuum causas proprias immediatasque reddere. Vnus est igitur effectus quod in casu magni tonitrui magnæque coruscationis, vina in doliis corrumpuntur atque subvertuntur: imo (ut Plinius inquit,) doli exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio derelicto, huius autem causa est, quod putrefactio est extraneatio quædam propriæ atque innatæ caliditatis: cum vero exhalatio sit calida & sicca, subtilis multum ac penetrans magnoq; impetu descendens, magna cum violentia per dolij poros transit ad vini substantiam, alteram eius propriam & innatam calliditatem, demumque illud corrumpit: imo etiam, ut dictum est, aliquando dolium fulmine percussum frangitur, & tamen adhuc stat vinum, nec effunditur: cuius causa est, quoniam exhalatio illa quæ cadit cum fulmine ignea est, ideo in vino circumcirca crustam inducit ad pellis modum, quæ durans per tempus retinet vinum ne effundatur: simili ratione de aliis liquoribus. Secūdus effectus est, quod omne fulminatum redditur venenosum, ut vinū, vel animal, aut quodvis: nam exhalatio illa sicca atque usta urens multas vini partes, vel animalis humiditates per viam suffocationis aut prohibitæ transpirationis ea reddunt venenosa, & propterea sapore & odore sulfurea fiunt omnia. Tertius est, quod bibens vinum fulminatum (ut supra dixi) vel animal fulminatum comedens, aut subito moritur, aut fit demens. Causa verò est, quia ex veneno derelicto hæc vis acquiritur, quæ vel necat, vel dementem reddit. Qua etiam ratione fit, ut animalia venenosa si fulminentur, in sua venenositate corrigantur, (nam venenum veneno pellitur sæpius) quia propter coruscationis exhalationem humor venenosus extinguitur, paulatim cum fulminis exhalatione evaporando. Quartus quod in casu tonitrui & magnæ coruscationis ova gallinarum aut franguntur, aut sterilia fiunt: causa vero, quoniam coruscatio quæ est exhalatio cùm ova ferit, aut est crassa, & sic illa frangit: aut est tenuis, & sic penetrans per poros ovorū spiritum gignitivum caloremque innatum in albumine contentum dissolvit, sicque sterilia redduntur. Præterea

fulmen aliquando corporis pilos urit, ut inguinis, axillarum, & femoris, non lædens corpus. Aliquando corporis colorem alterat, & nihil præterea aliud. Aliquando interficit, nullumque ustionis vel fulminis vestigium derelinquit. Aliquando econtrà in interfecto à fulmine apparet ustionis signũ. Præterea omne percussũ fulmine, caput vertit contra fulminis impetum. Arbor insuper fulminata, astulas evulsas contra fulmen erigit. Miraculum non parvum scribitur à multis, quod cùm tres homines deambularent, ex casu fulminis is eorum qui pravior erat raptus fuit ad secundam usque aeris regionem. Multa quoque alia scribuntur, quorum causæ perspicuæ sunt ex his quæ diximus. Post hæc opportunum est, ut cùm medicus sim, etiam remedia contra fulmen describam. Ac primum quidem est murus aheneus, nil conscire sibi nulla pallescere culpa: nam conscientia bona vitæque innocentia tutum apud Deum reddunt, sine cujus nutu nec folium cadit, ac propter peccata veniunt adversa. Naturalia vero remedia sunt primo, ut inquit Plinius, laurus arbor, unde antiqui fulmen timentes, lauri coronam suo capiti imponebant, ut Tyberium cœlo tonante solitum esse, scribit Suetonius. Vitulos marinos fulmen non percutit, ideo tabernacula fiant pellibus eorum. Antiqui corrigiam ferebant ex horum pellibus contra fulmen validam, naturali antipathia. Aquilam non ferit fulmen, hac ratione Principes per eorum castra solebant aquilas educare, quod à fulmine præservarent, ut lib. 2. dicit Plinius cap. 57. Fulmen occæcat, & aspicienti ipsum facies intumescit: remedium est in fulminis ictu faciem, oculos, totumque corpus operire, beneque integre aures etiam obturare, ne nimio sonitu dissolvantur. Valet à proprietate contra fulmen ferrum: unde & ferentes ferri multum, è fulmine non lædunt, potissimum si tempore ictus ferrum multa aqua aspergatur. Narrant autores boni, corallum contra fulmen valere. Ferunt lapidem qui cum fulmine cecidit (ut aliquando contingit) si in ostio suspẽdatur, domũ à fulmine præservare. Fertur etiam dormientes ac prægnantes nequaquam fulmine tangi. Est & remedium ut (amota superstitione) omnes urbis campanæ sonentur imminente illo tempore: nam vi soni moventis aerem sursum & ad latera, exhalationes ad tertiam aeris regionem expelluntur. Tempora & loca fulminum etiam referente Plinio libro 2. hyeme & æstate rariora fulmina contrariis de causis fiũt, quoniam hyeme densatus aer nubium crassiore superficie inspissatur, omnisque terrarum exhalatio rigans ac gelida quicquid igni vaporis accipit, extinguit. Vere autem & autumno crebriora fulmina sunt corruptis æstatis hyemisque causis. Crebriora spectantur cùm sol per sagittarium decurrit, & hanc ferè ob causam poetæ signum illud sagittarium appellarunt. Hac ratione nec Scythia nec Ægyptus fulgurant. Scythia enim præ nimio frigore exhalationem non habet: Ægyptus præ nimio calore illas resolvit, qua de causa in Italia fulmina crebra sunt, quia mobilior aer mitiore hyeme, & æstate nimbosa semper quodammodo vernat, vel autumnat. In Campania hyeme & æstate fulgurat, quod non in alio situ cernitur: nam illic semper ver est. Quid autem portendant, brevibus accipe: Quo in anno fulmen magna ædificia præcipuè templa elidit, frugum inopiam ac sterilitatem præsagit, & maxime fructuum sui temporis.

G.

GAllinæ si ultra solitum se concutiant in aqua, vel segregentur plures earum in uno loco simul & in pluviæ principio quærant tecturam aliquam se protegentes à pluvia, signum est magnæ futuræ pluviæ. Galli cantus in nocte citius quam soleat, mutationem aeris aut ventum ostendit, & paulo post occasum solis cantans, indubitatam pluviam prædicit: modo non æstate fuerit: motum enim vaporum qui sursum petunt sentiens, expergefit & cantat.

Grues ab imis vallibus fugientes, pluviam significant. Quando graves volant nec reflectuntur vel non revertuntur, serenitatem significant: non enim volant, nisi utique volantes prius serenitatem viderint. Grues abeuntes tempus hyemandi indicant.

Gelu primum quod anno quovis accidit, si dissolvatur cum pluvia, quodque gelu subsequens illo anno, cum pluvia maiori parte dissolvetur: si in principio gelu venti fuerint durantes orientales, gelu duraturum significant.

H

HErodius, id est ardea, in matutinis clamans, aquam significat: super verò mare volans & vociferans, ventum præsignat.

Halos si æqualiter constituatur & appareat, serenitatem significat. Est autem corona quæ circa solem aut lunam congregatur: cum enim in nubem nigram finitur, imbrem præsagit, eoque plus, quo sæpius aut continuatis diebus & noctibus apparet: nam etiam de illuvione timendum.

Hirundo circà aquam volitans, si sæpe percutiat aquam propriis pennis, vel ventre paludes verberet, pluviam indicat.

I

IGnis flamma si flexuosè volitet, aut cum luminaria ex eo flammas elidunt, vel vix accendatur, aut sublati s collis ab igne eiusdem carbo ignitus adhæreat, aut cum ignis scintillas emittit, vel cum cinis in igne concrescit, carbove ignitus vehementer pellucet: hæc omnia significant ventos, coruscationes & tonitrua: simul sunt futuræ pluviæ signa.

Iuncturæ patientium podagras, & ossa fracta non benè curata, si doleant, pluviam notant.

L

LVsciniæ domesticæ (præsertim mares) ineuntem brumam cantu admodum vocali tacentibus reliquis produnt.

Lampyridarum seu noctilucarum stellantes volatus, maturitatis ordei signum dant rusticis.

Lupus ululans, tempestatem significat: lupus cum ad laborata, id est culta venit, & tempestatis tempus haut sit, tempestatem. confestim significat.

In æstate, interlunio tempus est calidius, quia luna nobis proxima est: in plenilunio frigidius, quia cum sol fit

nobis proximus in æstate, luna illi opposita erit à nobis remota, in hyeme autem plenilunia faciunt tepidiores noctes, quia luna nobis proxima est: ut novilunia frigidissimas, quia luna abest à nobis.

Lunam conspice tertia die ante conjunctionem, quando scilicet luna apparet cum cornibus subtilibus aut post tres dies à solis coitu, quando apparet in occidente cum cornibus: quæ namque luna apparuerit in talibus temporibus clara & nitida & à nullo vapore circumdetur, aerem serenum significabit: sed si luna subtilis apparuerit & rubea, & illa pars lunæ quæ non est luminosa à sole apparuerit clara & cum quadam agitatione, ventorum flatum portendet, qui ex illa mundi parte procedent, à qua colores veniunt & circa lunam recedunt. Si verò luna nigra in talibus prædictis temporibus apparuerit aut viridis & spissa, hyemalem aerem atque pluvias nunciabit. Aegypti observarunt, si luna quarta exorta puro nitore fuerit, esse certum serenitatis signum: quod & Plin. lib. 2. cap. 46. Convenit quoque ut lunam contempleris tertia die ante oppositionem, scilicet quando est plena, vel die post oppositionem: & sic etiam tertia die antequam luna sit media in lumine, aut tertia die post dimidiationem sui luminis: quæ si clara sit & nitida: & à nullo circumdetur vapore serenitatem significat. Si verò rubea fuerit, & pars non illuminata à sole clara apparuerit cum motu quodam scintillativo, flatus ventorum significat: utque superius diximus, ab illa parte procedunt venti, ad quam ipsam declinat. Si verò nigra fuerit aut viridis & spissa, hyemalem aerem atque pluvias nunciabit. Est & alius iudicandi modus, ut circulum respiciamus qui apparere solet circa lunam: qui si fuerit unus & clarus, qui paulatim destruatur, significat aeris claritatem: si verò circa lunam duo apparuerint circuli aut tres, significant aerem hyemalem, quia vaporum abundantiam indicant & crassarum fumositatum. quod si circuli tales fuerint clari, ad ruborem vergentes, & quasi abscissi, fumositates Martis naturam sapientes demonstrant: abscissi, motum fumositatum si-

gnificat, & ideo ventorum potentissimos flatus portendunt & aerem hyemalem. Si circuli tales fuerint lividi, seu nigri, aut turbulenti, aerem hyemalem cum grandibus significant. Circuli circa lunam abscissi, si ad nigram viriditatem declinaverint, significant aerem hyemalem pluviosum cum grandinibus & ventis: & quanto plures fuerint, tanto magis multam demonstrant fumositatem & spissam. Circulus lunæ si dilapsus fuerit æqualiter, & in semetipsum evanuerit, significat futuram aeris tranquillitatem. Cùm verò in unam partem quasi ruptus cesserit, illic ventus erit unde scinditur: si pluribus locis ruptus fuerit, tempestatem in mari nautæ expectant.

Circa lunam plures halones, pluviam nunciant.

Plena luna nigra præsagit aquas.

Lunæ rectitudo quando inclinatur, borealis est mensis: quando autem fuerit deorsum, australis. Intelligo autem lunam primam post coitum, & per rectitudinem, cornua recta.

Luna rubens ventat, pallor pluit, alba serenat.

Lunæ motus per cœli quadras, magnum habet dominium super corpora humida: & ideo per suum lumen, & principalius per specialem ejus influentiam, facit mare tumescere & detumescere, fluere & refluere secundum diversos ejus respectus ad ipsum, & secundum quod fiunt in majorib. aut minoribus fortificationibus suis. Hoc etiam fit quia luna habet proprietatem cum oceano, non cum aliis. Vnde dum luna movetur ab oriente in meridiē, facit ipsum mare tumescere, & ex consequenti fluere: cum autem movetur à meridie in occidentem, facit ipsum detumescere atque refluere: & consimiliter dum luna movetur ab occidente ad angulum noctis, mare iterū fluit: & dum movetur ab angulo noctis seu à septemtrione ad orientē, iterum refluit. Sunt tamen aliqua maria adeo crassa seu spissa, quòd talem effectum à luna recipere nequeunt, ut sunt maria mediterranea: & aliquod est mare in crassicie medio modo se habens, quod solum semel in mense fluit & refluit. Flumina autē & stagna propter eorū subtilitatē insen-

insensibiliter evaporant, ideo tumescentiam aut detumescentiam notabiliter non patiuntur.

Littora clamantia, ventosa sunt, & potissimùm si subleventur.

M.

MOntes halitum densum & crassum usque adeo ut ne à sole quidem & vento dispici possit, perspirare visi, futuræ pluviæ signa omnium oculis admovent.

Mons qui ante est, si sonuerit, ventosum est.

Milvi ludentes & spaciantes in aere, alter cum altero volando, signant calorem, siccitatem, aerisque serenitatem.

Muscæ parvæ, si parum ante solis occasum congregentur ante solis radios ad modum formæ pyramidalis & ludant, signum est caloris & serenitatis crastinæ diei.

Muscæ atrocius mordentes quàm soleant, petentes os aut oculos hominis, alteriusve animalis, pluviam significant.

Maris tumor & agitatio significat tempestates, & pluvias. Mare sublevatum, & littora clamantia, ventosum. In mari si fiant pappi multi qui fiunt à spumis, ventum significant magnum.

Marina in tempestate cantantia, serenitatem notant.

Mergorum è flumine celer volatus & clamor, pluviam & ventos significabunt.

Mare plus solito cæruleum apparens, Austros nunciare tradunt: atrum, Aquilones.

N.

NOctua in imbre garrula vel sereno tempestatem indicat: quæ & vociferans in tempestate, serenitatem notat: & nocte, tempestatem, quiete cantans.

Nubes dum est integra, & spiritus intus discurrens, sonum æqualem & continuum atque mugitibus similem reddit, hujusmodi tonitrua venturi imbris sunt prænuncia. Sed cùm nubes in modum vesicæ eliditur vel explodi-tur, fit sonus acutus, quo edocto concidunt homines & exanimantur, quos propriè Attonitos dicimus.

Nubes

Nubes cùm sereno cœlo in altum feruntur, ex quacunque mundi parte fiat, ventos emersuros ab eadem mundi parte significant. Si nubes globarentur, appropinquanteque sole discutiantur, & hoc ab aquilone fiat, ventos demonstrant.

Nubes parva si post serenitatem factam apparuerit in aere distensa & divulsa, nondum cessat tempestas. Nubes apparentes in aere quæ assimilantur floccis lanæ, aliquàdo significant pluvias cum frigore, sed non multas: nam flocci vaporum crassiciem ostendunt.

Nubes quæ apparent gradatæ & siccæ ad modum ovium gregis, ventos denunciant.

Nebulosa tempora sunt serenis calidiora, cæteris paribus: causa autem est, quia serena tempora sunt exhalationum magis expertia: nebulosa verò plena sunt exhalationibus, quæ suo calore aerem calefaciunt.

Nubes nigræ in aere pluvias inducunt: albæ verò grandines tempore æstivo: hyemali verò tempore, albæ nubes, nives demonstrant.

Nubes in montium cacuminibus incidentes pluvias significant.

Quædam est caligo seu nebula contingens tempore sereno, quæ si sursum petat, per condensationem transit in nubem, estque signum pluviæ. Altera accidit in pluvia, & decidit ex nubibus ut ejus excrementum, estque serenitatis signum.

Nebulæ igitur in aere apparentes, si cadant & non ascendant superius, aeris purgationem significant, & serenitatem.

Nubes albæ cum multæ apparuerint, & præcipuè in horizontis parte in vespere per duos aut tres dies continuos tempore hyemis, frigoris & nivis extat indicium. Turbatio aeris ad pluviam, & nubes si sint magis quàm soleant albæ, significant nivem, & præcipuè cùm post talem apparentiam, aer aliquantulum calefactus sentitur, propter calidum quod de nube expellitur.

Nebula

Nebula maris, si terram petat vento sibi contrario, pluviam significat.

Nives cadentes in principio gelu, si subtiles & minutæ fuerint, fortius gelu notant: si verò latæ partes cadentes nivis, signant citam gelu dissolutionem.

Nemorum fragor, & commotio foliorum, ventos & tempestates indicat.

O.

OVes tenellas, si ante maturum tempus Venerem experiantur, futuræ pestis esse præsagium affirmant.

Oves præter solitum nimis pascentes pluviam præsentiunt.

Olei scintillatio in lampadibus ardentibus, pluviæ signum est.

Oves aut capræ quando coiverint, tempestatem longè significant: oves si manè coeunt, manè tempestatem indicant. Autumno si oves aut boves fodiunt & jaceant uniti ad invicem habentes caput, hyemem tempestuosam portendunt: tardè coeuntes, serenitatem.

P.

PLuvia aut nix quia rarò absque ventò cessare abigique solet, idcirco utraque si insignis erit, flatuosum aerem non procul abesse testabitur.

Pluit rarò vel parum frigidissimis temporibus aut calidissimis: nam frigoris accessio nimia, vaporum elevationem atque inde nubes prohibet, color nimius citò nubes dissolvit, vel dividit.

Pruina cadens in vere & autumno, serenitatem illius diei & caliditatem significat aliqualem, secundum anni tempora. Fit autem in locis & temporibus frigidis, fitque ex vapore qui immediatè vertitur in gelicidium: significat etiam cùm apparet in triduo futuram pluviam, ob vapores majores.

Pedes si sudaverint, australis est mutatio, idemque signum nebulæ.

Pruni si bene fructificaverint, tempestates multæ vehementer fient.

Porci

Porci seu sues manipulos fœni si dilacerent & abscondant, pluviam ostendunt.

Passer clamans manè, tempestatem signat.

Pecora exultantia si indecora lasciuia ludant, pluviam portendunt.

Pulices mordaciores existentes, pluviam significant.

Pauones ultra solitum clamantes, pluviam declarant.

Picus auis, Specht Germanicè, quæ & pluuiæ auis antiquis dicta est, validius quam pro more stridere si obseruabitur, certò imbres indicat.

Planetæ in suis stationibus maxime suas vires exerunt: Saturnus enim frigiditatem facit, Mars calorem, Iupiter temperamentum & serenitatem, Venus pluvias. Ingressus quoque planetarum in signa sui casus, tempora mutant.

R.

RAnæ plus solito suum prosequentes garritum, pluviam significant.

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Ros si manè non apparuerit, dum tamen à vento non impediatur, pluviam vel gelu significabit, secundum anni tempus.

Ros fit ex vapore qui immediate in aquam convertitur. fitque in temporibus & locis temperatis.

S.

SAlamandra visa, signum pluviæ est.

Starnes si manè volaverint coadunatæ, manè erit tempestas: si autem tardè, tardè & multo tempore erit tempestas: & si revertantur volantes, tempestatem significant.

Sciurus, Germanicè eychhorn, tempestatem prævidet, obturatisq; quà spiraturus est ventus cavernis, ex alia parte fores aperit, ut inquit Plin. lib. 8. cap. 38.

Sol cùm oritur aut occidit clarus, ita quòd non tegatur ab aliquibus nubibus, serenitatem aeris in tali die significat. Si verò in ejus ortu circulus aliquis circa solē apparens diversorum colorum fuerit, vel ad igneum ruborē declinaverit, aut solis radii per nubes transeuntes rubei fue-

fuerint & protensi, ita quod videantur ejus radii tanquam jacula, & rubei extra circulum separatim, talia accidentia significant ventos fortissimos: colores namque rubei Martis naturam indicant, quare fumos & siccos ventos demonstrant.

Sol occidens ruber, ventosus est: quòd si post occasum solis in occidentali plaga nubes rubeæ ut carbones accensi apparuerint, certum ventorum signum sunt.

Sol si ruber vel puniceus ante ejus occasum videatur, præsertim per magnum tempus ante occasum, vel per totum diem, & in occasu appareat magnæ quantitatis, ventos sine dubio nunciat.

Sol cum oritur aut occidit, si circa ipsum nubes fuerint nigræ aut virides, aut nigræ cum permixtione viriditatis, & circulus circa solem sic apparens, aut ascenderit cum nubibus nigris, aut viridibus, aut ad viriditatem tendentibus, aut ab ambabus partibus sol habuerit nubes extensas, pluvias & aerem hyemalem in tali die aut nocte significat: pro diurnis qualitatibus observatur in ortu, pro nocturnis in occasu.

Sol si magnus exoritur aut occidit, pluviarum præco est, quia solis illa magnitudo apparet propter aerem crassiorem, atque ita significat, vapores pluviosos inter solem & nos interponi. Halo circa solem cum non celeriter resolvitur, nunciat pluviam. Fit enim roridis & pluviosis vaporibus interpositis. Parahalius circa solem unus vel plures, est magnum pluviæ signum, eadem causa. Sol concavus aut maculosus, vel sub nube oriens aut occidens, est pluviosus: causa ex prædictis est.

Scillæ flos, ut Berytius scribit, virgata specie prosiliens modo non celeriter emarcescat, largos frugum proventus signat.

Sole descendente si subtiterit nubes à qua fundantur radii, tempestatis est signum: & quando æstuosè occidit aut oritur, si non fiat ventus, aquæ signum est.

Sol ubi nascentem maculis variaverit ortum,
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres. Virg.

Sol

Sol oriens calidus & non scintillans, ventosum est signum: & si concavus videatur sol, venti aut aquæ signum est. Et si multis diebus calidus, siccitatem & ventos diurnos significat.

Signa in sole & luna, nigra quidem aquæ, rubea autem venti. Sole occidente tempore hyemali, si clarior & rubicundior apparuerit quàm soleat, & tunc Boreas aut alius frigidus ventus flaverit, in sequenti nocte gelu significat.

Serenitatis signum est in pluviis, cùm splendor apparet in septemtrione: in austro verò tumorosa nubes plerunque serenitatis signum est.

Senes & alii qui læsa ossa habent, & quartanarii, cùm frigore læduntur, gelu significant.

Salsæ carnes uberius si humectentur, & sal in vase liquescens ultra solitum, signa sunt pluviæ.

Stellæ undecunque videantur currere, ventus exinde erit: si autem undique, ventos multos indicant: nam prius illic ventus est quàm apud nos, ab eoque feruntur. Stellæ si in hyeme clariores apparuerint, magni extat frigoris indicium. Stellæ scintillantes hyemali tempore, magnum frigus & gelu demonstrant.

Stellæ si majores apparent quàm consueverit lumine & quantitate, ventum significat.

Sterilitatis est signũ, si in galla quercus nascatur aranea: est enim aranea frigidum ac siccum animal, quæ qualitates generationi omni ac vitæ sunt contrariæ.

Frugum semina cùm levia fuerint aut corrupta, sterilitatem in eo genere futuram nunciant.

In fructibus etiam illud fermè perpetuo verum est, ut maximam ubertatem maxima sterilitas subsequatur, seu exhaustis arborum viribus, seu quomodocunque læsis germinibus.

Sterilitatis etiam aut penuriæ signum, imò verò causa potius, sunt horrida bella, per quorum deploratam licentiam, & penè dixerim fatalem tyrannidem, armenta arationi destinata passim abduci, horrea compilari, granaria incendi, aut ab avaris claudi, sementes everti, & colonos partim

partim trucidari, partim captivos agi, nemo sine lacrymis & suorum proximorum jactura irreparabili audit, vidit, experitur: qua etiam de re Psaltes inquit: Dissipa gentes quæ bella volunt.

Si in vere sint signa frigoris & siccitatis, in fine veris cadet pruina juxta plenilunium, & erunt paucissimi fructus eo anno, vini fermè nihil. Si ver futurum sit siccum, pauci erunt fructus & boni, & penuria frumenti. Quod si ver frigidum, fructus erunt serotini.

Si ver & æstas humiditate superflua madebunt, aut caligo vel pruina cum austris pluribus diebus (dum omnis parturit arbos, dum omnis floret ager) invalescere deprehendetur, fructuum inopiam illo anno, aut saltem corruptelam validè formidabis, multique erunt morbi.

Si æstas sit siccior, erit penuria frumenti, fructus æstivi erunt salubres: pisces morientur: morbi acutissimi. Si verò calidior, erunt & morbi multi, & multa fructuum æstivorum copia. Si frigidior, incolumis annus, fructus serotini. Autumnus humidior putrefacit uvas, vinaq; facit quæ verè pervertuntur. Si sit ultima parte humidior, sequenti anno erit penuria frumenti. Si siccior in prima parte, erit eo anno milii penuria. Si calidior, erit morbosus atque omninò malus. Si frigidior, autumnalium fructuum fiet jactura in quanto & quali. Hyems frigida & sicca laudabilis est: frigidissima occidit arbores, maxime quæ cœlo calido gaudent, ut punicum malum, ficum, persicum, malum medicum, ut citria, arantia, limuniaque. Si magis sæviat, vitem & olivam, cerasa & chrysomela. Calida verò, & humida hyems, insalubris & segetibus inimica. Omnis denique immoderata intemperies, mala: & perversio temporum etiam mala, vel æqualitas illorum. Ventorum quoque multitudo noxia fructibus est, paucitas segetibus. Totius anni tranquillitas de pestilentia suspecta est. Vniversalis temporum divisio est hæc: Nostro tempore Vernum æquinoctium est die decima Martii, Solstitium æstivum undecima Iunii. Aequinoctium autumale decimatertia Septembris, Bruma, undecima Decembris.

Nives permultæ anno quopiam è cælo peropportunè descendentes, frugum terræ (modo cætera consenserint) copiam (ut grandines inopiam) significant, nam cùm debitis temporibus nix accidit, herbas fœcundat, ac pabulat semine, materia enim nivis multum habet terrei calidi aerei commixti, quod paulatim egrediens bonum præbet seminibus pabulum, unde gignitivum spiritum ex calidò illo augent, alunturque terrestri parte cum humido mixta: fœcunditas enim tum ab humore, tum à calore solis fit, unde inutiles ferè & steriles in umbrosis locis nascuntur plantæ.

Virgilius primo Georg.

Sedulus observa cum se nix plurima sylvis
Induet in florem, & ramos curvabit olentes,
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At si luxuria siliorum exuperat umbra.
Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.

Terræ motus & locustæ sæpe pestis, frequentius sterilitatis causæ manifestæ & efficaces fuerunt. Piscium abundantia sterilitatem nunciat. ab humidi enim copia fiunt pisces, triticum autem ab humido temperato. Sic tritici ubertas ratione contraria, paucos pisces facit.

Eclipses solis præsertim magnæ, si in florentem segetem inciderint, eo anno stipulæ absque granis colliguntur: & maxime fit illud, si sol exoriens deliquium patiatur: causam vide si vis in Commentariis Cardani in 2. De judiciis Ptol. comm. 51.

Avium greges relictis insulis & nemoribus, agros, villas vel urbes frequentare visi, & graculi turmatim sylvis valedicere itidem conspecti, sterilitatem, ac triste nescio, quid antiquis semper indicarunt.

T

TErræ motus est passio seu affectio, qua terra movetur, facta à ventis seu vaporibus siccis in terram inclusis, & à calore solis calefactis atq; impulsis. Fiunt magis

gis in vere & autumno quàm in æstate aut hyeme, ut in ventis dicetur.

Terræmotus in posterum quoque dira portendit, & in primis pestilentiam præsagit famemque & bella deinceps. At verius dixero nihil portendere futuri, sed illum ex naturæ necessitate suo tempore perfici, ac ob putridos exhalatos vapores aerem inficere & herbas & fructus, atque inde homines inficiuntur. Inter signa futuri motus est cœlum silens, tempestates sopitæ, & in puteis aqua turbidior fœdique odoris. Est & in cœlo signum præcedens futuro motu, tenuis scilicet linea nubis, in longum porrectæ spacium. Existunt maximi motus in solis lunæque defectu, sed in hac re solis defectus potentior est. Durat aliquando terræmotus duos annos aliquando ante quadraginta dies cessat: nam si secundo die accesserit, non desinet usque ad 40 quos si transierit, ad unum vel ad duos usque annos accidet, vel etiam tres, ut inquit Averr. Potentissimum adversus hanc luem remedium est, degere in regionibus ad septemtrionem vergentibus, maximeq; in his quæ climate sive segmento septimo continentur, ubi vel nulli vel rari motus existunt. Vis esse liber & tutus à terræ tremore, aliisque id genus casib. periculosissimis, sit tibi animus contemptor mortis, sit mens impavida leti. hoc vero assequeris viva in Christum dominum fide, quæ per dilectionem operatur. Media vero vel remedia universalia sunt primo de loco fugere (si potes) ubi non fit terræmotus, ut supra dixi: particularia autem sunt sub terris cloacas cuniculosque & crebros specus facere: præconceptum enim spiritum exhalant. Tutissimi sunt ædificiorum fornices sive testudines, anguli quoque parietum, pontes alterno pulsu renitente, parietes latericio lapide facti minore quatiuntur noxa. Re. medium autem contra pestem est terræmotus tempore dormire in alto, non in terrenis, à quibus pestilenres exhalationes manant. Terræmotus universalis in tota terra esset supernaturalis, quoniam cùm non fiat nisi ex exhalationibus à sole congregatis in uno loco, non dispersim movẽtur illæ, sed unitim eo in loco, & circumvicino.

Tonitrua matutina & hyemalia, ventum significant & aquas: meridiana, imbrem. Tonitrua noviſſimæ bonæ dici, ingentem maris tempeſtatem, vel iram cœleſtem demonſtrant, æſtate ſi minus tonet quàm coruſcet, pluviam ſignificat. Tonitrua æſtiva in meridie & veſpere, aquoſum ſignum.

Tonitruum eſt partium aeris ſibi cum impetu concurrentium ſonus.

Hermes cæleſtium rerum obſervator tradit: Si Ianuario tonaverit, eo anno in ea regione ventos validos portendere, atque fertilitatem. Si Februario, multorum mortem, præcipuè divitum. Si Martio, ventos validos, fertilitatem, & popularia bella. Aprili vero bonum & jucundum annum. Majo autem famem & inopiam. Iunio fertilitatem. Iulio bonam & utilem annonam. Auguſto reip. proſperitatem, ſed hominum varios morbos. September fertilitatem, ſed potentium cædes. October validum ventum, annonæ ac fructuum copiam. November frumenti copiam, & annonæ jucunditatem. December denique ſi tonaverit, annonæ copiam, & in populo pacem præſagire aſſerit. Plinius: ſi in cubatu tonuerit, ova perire, ſed hoc univerſaliter negant mulieres.

Talpæ ſi plus ſolito in terram operentur in minutis partibus fractam, pluviam indicant.

V.

VEſpertiliones ſi citius in veſpere & in majori eorum quantitate volant quam ſolebant, ſignum eſt caloris & ſerenitatis futuræ proximæ diei. Et hoc etiam de crabronibus intellige, qui tamen ſi quaſi intrantes & ſe occultantes ſint foraminibus, tempeſtatem ſignificant.

Vermes terreni interrumpentes trifolia (nam ea communiter non ingrediuntur) ſignificant tempeſtatem.

Vermes exeuntes à terra, pluviam ſignificant.

Vermes qui dicuntur centipedes, multi in numero reptantes, aquam indicant.

Ventus eſt exhalatio calida & ſicca, à ſole facta, quæ impetuosè à frigiditate mediæ regionis aeris propellitur.

Auſter

Auſter flat cùm oriuntur Vergiliæ, id eſt menſe Majo. Aquilo flat oriente Orione, quod fit die ſequenti ad ortum Caniculæ. Favonius flat menſe Februarii, cum Fidicula occidere incipit: confirmatur autem cingulo ſeu zona Orionis emergente, id eſt circa decimum Februarii inde aperitur terra pullulareque incipit.

Obſervarunt mathematici, quoties Iupiter fuerit Lunæ conjunctus, novos ventos naſci, quoties etiam luna cancrum peragrat, movere ventos. Quod ſi luna Iovem petit in cancro, ventorum flatus exoriri ſine dubio videbis. Præterea ſi ſol (ut dicunt) fuerit in capricorno, & luna in ſcorpio, vel capricorno, vel tauro, aut virgine, frigidiſſimos ventos concitat. Idem ſol etiam efficit, ſi in Aquario & Saturnus in oppoſito, luna alterum horum reſpiciente. Dicunt & Sat. in ſigno terreo retrogradum ventos ſedare. Similiter & Martem. ſed hæc aſtrologis relinquo, & ſecundum phyſicos aſſero, nec temporibus maxime frigidis nec maxime calidis ſpirare ventos, ſed temporibus inter hæc mediis. Particulatim vero venti ſpirare ſolent mane & veſpere: nam in meridie ob ſolis caliditatem majorem ceſſant, in media nocte propter maximam frigiditatem extinguũtur. Si ab aurora flare incipiunt venti, durant magis, auſter non incipiens, ſed deſinens, imbrem affert, quoniam incipiente adhuc aer calidus eſt, cum è loco calido ſpiret.

Rubedo circa ſolem & lunam, ventorum eſt ſignum. Aeſtate ubi coruſcationes & tonitrua, inde ventus fortis ſpirat. Hyeme verò & autumno coruſcationes ſedant ventos: & quanto tonitrua & coruſcationes fortiores ſunt, tanto magis ventos ſedant. Somnium hominum ſi fuerit de avibus, proximo die certum ventorum ſignum eſſe dicunt.

Hyeme venti circa auroram ſpirant, æſtate vero circa occaſum. Hyeme à parte orientali, æſtate à parte occidentis. Si Eteſiæ, qui temporales boreæ dicuntur, multo tempore flaverint, & autumnus eſt ventoſus, tranquillam hyemem nunciant. Sin autẽ autumnus eſt tranquillus, ventoſa hyems erit. Auſter Sirochus & Garbinus pluvias adducũt.

Obſervarunt antiqui primam Ianuarij noctem: nam ſi ſerena erat ſine pluvia, & tranquilla ſine vento, annus futurus plerunque bonus erat. Si cum vento orientali, pecoribus erat pernicioſus. Si cum occidentali, regibus mortiferus erat. Si cum meridionali, populus moriebatur. Si autem nox illa cum ſeptemtrionali vento emergeret, futurus annus cenſebatur ſterilis. Nolo hic morborum prognoſtica ex quatuor anni temporibus adducere, quæ quilibet ex Hippocrate & Galeno tertia ſectione Aphoriſmorum ſcire facile poteſt, Aph. 11. 12. 13. & 14. atque alibi.

Si unum anni tempus fuerit ſerenum, & ſiccum, oportet alterum eſſe pluvioſum: ut ſi autumnus eſt ſerenus & ſiccus, hyems eſt pluvioſa. Si præcedens annus eſt ſiccus (cum in ſiccitate eleventur vapores) ſequens eſt humidus. Similiter contra, ſi unum tempus fuerit pluvioſum, ſequens erit ſiccum: quia oportet humidum ſurſum ductum redire, aliter non ſervaretur elementorum æqualitas, & humidum deorſum latum oportet ſurſum reverti, ut ſervetur (ut dixi) æqualitas & proportio.

Vnus & idem ventus contrarios effectus facere poteſt, & primarios & ſecundarios, & per ſe unum, aliud per accidens: nam Eurus à principio quidem ſiccus eſt, finiens autem aquoſus. Boreas per ſe frigefacit, per accidens autem (calidum contrectando) calefacit.

Venti validi omnes refrigerant & exſiccant & ſerenitatem pariunt, imbecilles calefaciunt & humectant, pluvias item gignunt.

Venti incipiunt cum ſole & oriente luna. Si autem oriente ſole & luna oeſſent, diſtenduntur venti. Luna diminuta, fiunt magis venti. Diuturniores autem & fortiores vēti ſunt, qui incipiunt in die quam qui in nocte. Quando Boreas nubes multas movet flans, magnam ſerenitatem ſignificat: Eurus ſolus flans, ad ſe trahit nubes. Venti orientales ſunt ſicci, propter vaporum combuſtionem à ſole factam, ideo ſiccitatem producunt. Occidentales humectant propter vaporum craſſos à ſole relictos nocturno tempore.

Pluvia

Pluvia cita præſcitur per magnam nubem orientem ab illa mundi parte à qua venti flant: & quanto intenſior ac major fuerit nubes, tanto citius & certius futuræ & ſcitæ pluviæ ſignum eſt.

Auſter cum atrocius flaverit, & poſtmodum Boreas flare incipiat, ſignum eſt magnæ tempeſtatis, & maxime in mari.

Coruſcationes cum vento boreali, pluviam ſignificant.

Tonitrua cum orientali vento vel occidentali, pluviam vel tempeſtatem validam oſtendunt.

Annus Borealis melior eſt auſtrali, iidem venti præcedente aere ſicco faciunt pluviam, præcedente humido pluvias.

Africo Euroque vento flante, tum magis, tum majora monſtra præ cæteris temporibus ſomniare ſolemus, maxime ſi eò tunc humiditas in corpore modum excedit. Hujuſmodi tamen flatus ad plantarum auctionem nimium præſtant: pulicibus etiam & muſcis, reliquisque iſtius generis animantibus naturæ noſtræ infeſtis, maximo adjumento ſunt. Purgationem quoque cum his ventis aſſumere bonum eſt: tunc enim membra laxa ſunt, & medicinæ cedunt, quam Aquilo magnopere comprimit.

Vitreis corporibus ac parietibus perpolitis vel ligno & ferro vapidum neſcio quid, & veluti roridum hærere conſequentibus diebus aliquot, abſque manifeſta cauſa, ſi videbis, & lacrymabile quiddam, ſaltem de ſuperficie præ ſe ferre pluviam intra breve tempus adfuturum, haud dubiè expectabis.

Vultur, Germanicè haſengeir, locum futuro bello ſeptem dies antequā pugna committatur, prævidet, in eamque partem, in qua alterutra pars ſuccumbet, reſpectat. Quamobrem reges olim ſpeculatores ſolebant præmittere, qui renunciarent ad quamnam partem vultures proſpicerent. Ait quoque Plinius lib. XL. Vultures cadavera futura & præſentia præſentire.

Vacca in cœlum ſuſpiciens, & captans naribus auras, pluviam præſagit.

Z

ZOnæ sericæ magis aridæ quam soleant, pluviam significant.

Zonæ pelliceæ, corrigiæ item, & similes ligaturæ solito contractiores redditæ: adhæc musicorum instrumentorum subtensæ fidiculæ ruptim dissilientes, pluviæ signa confirmabunt. nam ex prævia aeris humiditate intenduntur, ac ita facilius rumpuntur. Sed longissimum foret ac præter scopum, hic omnium effectuum velle causas reddere.

LECTORI.

MEminerit syncerus lector, quod ut omnis non fert omnia tellus, ita omne ubique non dat mortalibus omnia cœlum. Erit itaque de constitutione aeris judicium ad eum duntaxat horizontem referendum, in quo signa narrata apparebunt. Optimum insuper est, signum signo conjungere, & pluribus in unum conspirantibus hærere.

Vbicunque in libello De memoria reperies lib. 1. med. intellige sesquilibram: ita perunc. 1. med. sesquiunciam: per drach. 1. med. sesquidrachmam.

VNDE

UNDECIM SIGNA MOTUS TERRÆ EX ANTONIO MIZALDO, EADEM FERE CVM SVPERIVS dictis à nobis.

I. ECLIPSIS.

REGIO ad quam umbra eclipsis luminarium convertitur, terræmotui obnoxia esse plerunque solet: idq; certius, si defectus ipse in cauda draconis contigit, qui quanto major erit & universalior, tanto motus validior experietur: quanto minor, contra.

2. SOL

Ante terræmotum sol diebus aliquot sine nube obscurus, & summa sub auroram cum frigore tranquillitas, nec non post occasum (vigente serenitate) nubecula per aerem strictim ac longiuscule exporrecta, sæpenumero apparuit.

NVBES

Igneæ nubes, columnæ speciem in aere præ se ferens, Callistheni philosopho trepidationis terræ signum verissimum exhibuit.

4. AQVÆ

Puteorum & fontium aquas, ante terræ concussionem absque manifesta causa turbidas fieri, & salsugine fœtoreve aut alio ingrato minimèque naturali sapore, infici, primus exploravit Pherecides, Pythagoræ doctor.

5 TRANQVILLITAS

Summam tranquillitatem, & ventorum silentium in regione terræmotui obnoxia, menses aliquot præcessisse antiquis observatum est.

6 MARE

Navigantes, futuros terræmotus conjectura non du-

bia sentire certum est, sine flatibus intumescente fluctu subito, aut quatiente. Contremiscunt & in navibus posita, æquè quam in ædificiis, crepituque motum ipsum prænunciant.

7 NVBECVLA

Nubecula in modum lineæ, occasum versus gracilis, oblonga & alba, terræ agitationem præcedere plerunque est visa: quo signo Anaximander suas hisce de rebus prædictiones serio Lacedæmoniis aliquando confirmatur.

8 AVES ET QVADRVPEDES

Aves cum quadrupedibus pleris que, loca succussationi terræ peropportuna reliquisse, & novas sedes, quò se ab ingruente injuria vindicarent, quæsiviſſe, tam est observationibus probatum quam priscorum libris testatum.

9 SOL ET LVNA

Terræmotu adventante, sol ac si delinqueret caliginosus, & colore quadantenus cum Cynthia sorore veluti sanguineo obsitus, à quam plurimis est conspectus.

10 MARE ET COELVM.

Nunquam intremiscunt terræ nisi sopito mari, cœloque adeo tranquillo, ut volatus avium non pendeant subtracto omni spiritu qui vehit: nec unquam nisi post ventos, in venas terræ, & cavernas occulto afflatu conditos.

11. SONVS

Præcedit motum terræ, & plerunque comitatur sonus terribilis, murmuri, & mugitibus, aut clamori humano, armorumve pulsantium fragori persimilis.

Addo ego duodecimum signum, quod est præapparens cometa: nullum tamen horum signorum ad terræmotum significandum sufficiens est: propterea si multa concurrunt significatio certa est.

APPENDIX.

DEsinunt tremores cum ventus emersit: sin vero duravere nō ante quadraginta dies sistuntur: plerumq; & tardius, utpote cū quidā annuo & biēni spacio duraverint. Septies & quinquagesies uno anno fuit. post astros, præcipue noxii sunt. Vna nocte in Asia XII. urbes periere. Fun-

re. Fundata in palustris, vix terræmotus neque terræ hiatus sentiunt. Specus & cuniculi valent adversus hæc. Locris & Crotona neque pestem neque terræmotum habuit. Basilæa utrumque. nam tremuit olim pessimè die decimo-octava Octobris anno domini 1356. ut videre est in Cosmographia universali Sebastiani Munsteri libro tertio pag. 408.

LIBROS PRÆSAGIA HABENTES, hîc indico.

Albategni.	Hippocratem.
Alex. Aphrodisæum.	Ioachimum Ring.
Ant. Mizaldum.	Macrobium.
Aratum.	Manilium.
Aristotelem.	M. Catonem.
Avicennam.	Mesue.
Aug. Niphum Suess.	Ovidium.
Bedam Anglo Saxonem.	Platonem.
Cl Ptolemæum.	Plinium.
Corn. Agrippam.	Proclum.
Corn Celsum.	Rasin.
Columellam.	Themistium.
Diarium physicum.	Theophrastum.
Galenum.	Varronem.
Gu. Gratalorum.	Virgilium, &c.
Hesiodum.	

Sic habes apud quos certas rerum futurarum prædictiones reperies, præsertim

Caloris,	Fertilitatis,	Gelu,
Caliginis,	Fulguris	Grandinis,
Corruptelæ,	Fulminis,	Inopiæ,
Diluvij,	Frigoris,	Nebularum.
Nivis,	Penuriæ,	Tempestatis.
Pestis,	Roris,	Terræmotus,
Pluviæ,	Serenitatis,	Tonitrui,
Pruinæ,	Siccitatis,	Ventorum.

Sed nullibi copiosius, certius, facilius, & ordinatius quàm hoc in libello.

PHY-

PHYSIOGNOMICI LIBRI COMPENdiosus index.

De Physiognomia in universali.	Cap. 1.
Capitis judicum.	cap 2.
Ex colore capitis judicium.	cap. 3.
Capillorum judicium ex substantia.	cap. 4.
Coloris capillorum & pilorum judicium.	cap. 5.
Frontis judicium.	cap. 6.
Superciliorum judicium.	cap. 7.
Ciliorum seu palpebrarum judicium.	cap. 8.
Oculorum judicium,	cap. 9.
Lupini hominis descriptio.	ibid. in fine.
Faciei judicium & vultus.	cap. 10.
Nasi nariumque judicium.	cap. 11.
Pudendorum judicia.	cap. 11.
Aurium judicium.	cap. 12.
Maxillarum & genarum judicium.	cap 13.
Oris natura & menti.	cap. 14.
Labiorum judicium.	cap. 15.
Dentium.	cap. 16.
Linguæ.	cap. 17.
Vocis.	cap. 18.
Gentium universalis cognitio.	cap. 19
Colli & aliquarum corporis partium judicium,	cap. 20.
De incessu, de cerve, manibus, unguibus, &c.	cap. 21.
De anhelitu & aliis nonnullis.	cap. 21.
Lupini hominis judicia.	
Impudentis hominis cognitio.	cap. 22.
Dissimulatoris & simulatoris cognitio.	ibid.
Avari hominis judicia.	cap. 22.
Fatui ac improbi notæ.	ibid.
Reliquarum partium judiciũ, & judicandi modus.	cap. 22.
Philodori, id est amatoris munerum cognitio.	cap. 22.
Effœminati.	22. & alibi sæpius.
Totius corporis moles & commensuratio.	cap. 23.
Bene compositus ac bonæ memoriæ qui sit.	cap. 23.
Tabula signorum & naturarum.	cap. 23.

POM-

POMPONII GAURICI NEAPOLITANI DE SCULPTURA.

Vbi agitur.

De Symmetriis. De Chimice.
De Lineamentis. De Ectyposi.
De Physiognomia. De Cælatura, ejusque speciebus.
De Perspectiva,
Præterea de cæteris speciebus Statuariæ.
De Plastice. De Tomice.
De Proplastice. De Colaptice.
De Paradigmatice. De claris Sculptoribus.
Ac plerisque aliis rebus scitu dignissimis.

VERE NOBILI ERVDITO VIRO IOANni Iardano ab Hirtzaim Equiti Germano, Iac. Curio Hofemianus.

S. D.

DEDIT ad me Lucas Gauricus Pomponii fratris sui hunc de Symmetria & Statuaria librum, omnium sanè quos videre hac de re unquam contigit præstantissimum. Et eo quidem nomine dedit, ut si probaretur mihi, quem hactenus nemo Italorum non egregiè probat, novis eum formulis darem in Germania excudendum. Agnovi donantis humanitatem, mirumque in modum ardore incendebat legendi aliquid de Statuaria, quæ nullos adhuc, quantum quidem ipse memini, scriptores invenit. Nosse cupiebam avide quanta verborum dignitate vim ac potestatem artis exe-

queretur, maxime verò, quid nam commodi ipsa aut voluptatis cognitori adferret, quæ esset explicatio, quæ gratia. Dici autem vix potest, quanta animum meum admiratione impleverat, dum singulas artis viderem species tam appositè, tam dico & scitè, eleganterque pro varietate materiæ tractatas. Iures ad id artificii genus exercendum se vertisse totum, quando quod optimi cujusque artificis est, Affabrefactionem ex eo contendit omnem hic esse, quo singulæ inter se operis partes, sibi quàm aptissime respondeant, nihilque omnino aut productum habeant, aut subductum magis, quàm ratio, quàm natura, quàm res denique ipsa exposcat. Attingit pleraque minime plebei, sed artis plena & sepositа, quæq; non nisi ab ingeniosissimis, quos natura scilicet ad hæc ipsa formavit, cognoscantur. Physiognomiam, cujus quàm maximè peritum vult esse Statuarium, non prætermisit. Neque his contentus, laudes artis quoque, & artificum eorum, præsertim quos novit insignes addit. Atq; omnia mehercle venustè hæc & graviter, unde rem me facturum literatis quibusdam apud nos, non ingratam putavi, si Gaurici obsecutus consilio, tam impensè à multis laudatam disputationem prælo demandarem. Adeoq; tuo illam ipsam etiam Iardane nomini renatam inscribere. Quem enim idoneum magis judicem & patronum dari huic, quàm te postulem? Qui non modo rerum harum, quas liber hic tractat, valde es studiosus, verum aliàs tantū etiam ad fortunæ & ad summa ingenii ornamenta adjungis diligentiæ, quantum in tuo hoc ordine vix quisquam alius. Nam & historia nunquā tibi cadit è manibus. Et philosophiam ita amplexaris, ut dubium sit, utrū discendo cognitione, aut augendo, quæ præcipit, virtute & moribus plus jam profeceris. Neq; verò illud etiam non magnopere in te laudandum venit, quòd in his temporum anxietatibus & tædiis, pacem ac tranquillitatem mentis salutarium librorum lectione tuearis. Consueveras id quoq; facere, dum esses adhuc Alberti Cardinalis & Archiepiscopi Moguntini Principis nostri, cum generis antiquitate, tum summis & Heroicis animi dotibus illustrissimi,

strissimi, cubicularius, ministrorumq; adeo omnium proximus & intimus, ubi persæpe animadverti, qua assiduitate, non jam in uno quodam liberalis doctrinæ genere, sed multiplici, versaberis. Qua gratia etiam & favore prudentissimus Princeps te complectebatur ob hoc, quòd videret, te, quicquid ocii suppeteret, consumere in studiis utilibus & amœnis, non indulgere vanis & inanibus oblectamentis, quemadmodum soliti tum fuerant tuæ conditionis juvenes quidam alii, qui dum potitarent, luderentque alea, tu animi causa lustrabas Bibliothecam, quam nunquam absque honoris præfatione nominandus Princeps noster locupletissimam instruxit. Vel etiam delassatum negotiis animum recreaturus spaciosam illam ingrediebaris Aulam, quam idem ille ornavit; tot quasi spirantibus simulachrorum figmentis, Statuis, Automatis, Tortumatis, auro radiantibus Aulæis & peristromatis. Inter quæ omnia partim ipsa novitate, partim magnificentia & raritate visenda opera & spectacula, dum nobis tu (qui non semel in penetralia te comitabamur) perite ostenderes, quid quaque in re excellens esset, quid naturale, quid pulchrum ac decens, quid item instruat ad componendos mores, quidve faciat ad pascendos solum oculos, multorum etiam opificum transcendere judicium mihi videbare. Quare merito hunc in multa jam denuo propagatum exemplaria librum, Ioannes Iardane, accipies, non ut munus, tamen aliquod à me te putes accipere: Pomponii enim est, non meum, Sed ut tuam, quod dixi, sententiam de eo feras. Bene vale, ac Pomponium ingenii nobilitate præcellentem hunc, tuo patrocinio apud nostros defende. Moguntiæ octavo Idus Aprilis, Anno M. D. XLII.

POM-

M. ANTONIUS PLACIDUS LAURENTIO STROZÆ FLORENTINO S.

CVm ad nostras manus perveniſſet, hic Pomponii Gaurici, de Sculptura non jam libellus, ſed qualem Domitius Piſo oportere eſſe ajebat, theſaurus, quod & ipſa Romanæ urbis inſtaurator Bernhardus Oriz. ellarius ſocer tuus judicavit. Exiſtimavi non parvam apud omneis homines aliquando mē gratiam promeriturū, ſi per me communis omnibus in publico locaretur. Atque ea diligentia, ut ne litera quidem aliter reponeretur, quam ejus ipſius manu mihi ſcripta conſtaret. Verum enimvero, cum ille deme peculiarē ſibi patronum aliquem expoſceret, cujus tutela in vulgum illæſus prodiret, Patronum ego ei te dedi, ſcilicet quem maxime is optare videbatur Vti Regia domo cæteros in toto terrarum orbe mortales antecellentem. Ita & cæteros in hac tua florentiſſima urbe juvenes & morum & ingenii nobilitate præſtantem. Nam quid rogo potuit fieri convenientius? quam elegantiſſimus libellus juveni dicaretur elegantiſſimo, quam nova ars ipſis addita liberabilibus octava, novam adiret domum, & quæ quaſi octavum haberetur in mundo miraculum decoratam ſtatuis, decoratam & picturis. Tu igitur munus hoc noſtrum patrocinio tuo complectere, & quod te facturum ſcio, ne de tuis, ne de Philippi fratris tui optimarum literarum ſtudioſiſſimi, manibus unquam temere cadat. Nam præterquam quod hæc ſæpius legendo. Latinam linguam, quod ego in me expertus ſum, efficietis exornatiorem. Et veſtram pulchritudinem relegetis, & vehementius multo veſtri Palatii ornamenta diligetis.

Vale.

P OM

POMPONII GAURICI NEAPOLITANI DE SCULPTURA AD DIVUM HERCULEM FERRARIÆ Principem.

CVM ſæpe mecum Princeps invictiſs. per egregias laudes tuas animo conſiderarem atque ad clariſs. rerum tuarū ſplendorem, nominis quoque rationem accommodatam eſſe intelligerem. Et Platonis noſtri Cratylum deamavi, & te unum ex omnibus cognovi, quem vere noſtris temporibus Heroa vocare poſſimus & in quem divinos conferre honores unâ certatim omnes debeamus. Etenim ſi cum comparatione cauſam expenderimus, multo id quidem rationabilius nos quam veteres olim feciſſe dijudicabimur. Nam quis erit usque adeò rerum omnium imprudens ac ſtolidus, qui fateri audeat, non hunc Herculem Hercule tanto majorem, quanto animam corpore excellentiorem? niſi forte vipereos angueis elidere, feras quas ipſi nos interdum venatu perſequimur apros, cervos, leones vincere, equos edomare, obſcœnis ſubinde libidinibus emancipati. Tantum non quinquaginta, ut feſtive Græcus ait, mulierculis admiſceri, ac poſtremo etiam in furorem adigi, præſtabilius cuidam videri poterit, quam civitates conſtituere, urbes amplificare, populos regere, virtutes complexari, libidinem, iracundiā, ſuperbiam, avaritiam frenare, ac nullis omnino denique vitiis obnoxium eſſe. Hoc erat Herculem agere, hoc erat Iove naſci, & jam tandem cœlum mereri. Quocirca factum eſt dive ac ſancte Hercules, ut non minori ego te veneratione ſemper habuerim, quam priſci illi Iovis filium. Quod ipſum tibi ſignificare cum voluiſſem, nihil mihi quidem venire in mentem potuit, quod dignius putarem, ut ad te mitteretur, quam hic de Sculp-

ptura libellus, tum quòd nulli ante hoc tempus inventi sunt, qui de ea re perscribere potuerint. Tum etiam quòd nihil ea arte visum nobilius, atque ad hanc immortalitatem tuam accomodatius. Cogitabam igitur perpetua dictione Sculptoriam tibi omnem artem explicare, sed quo minus id ita fecerim, casus quidem ipse impedimento fuit. Nam cum superioribus diebus, proxima æstate Patavii essem, divertissetque apud me Raphael Regius, Græce & Latine Rhetor exercitatis. post multorum salutationes, ubi in varios, quod fieri inter familiares assolet, sermones exivimus, libuit Ciceronianum illud declamandi genus, multis jam seculis intermissum, paulisper retractare. Certis quibusdam horis, quibus ille ab negotiis, Ego à philosophiæ studiis vacare soliti eramus. Quodam vero die, cum ἀγαλματογραφίω, id enim domesticæ officinæ nomen, me convenisset, ibique nescio quas expressas ære ac marmore effigies contemplatus esset, de Sculptura mox loqui accepimus. Qui sermo, quoniam varius ac multiplex fuit, speravi operæ precium fore, si à me tibi recenseretur. Ille igitur, nihil te inquit, uno mirius. Ast ego putabam te tantummodo literis operam dare, nunc minimum video tempus id esse, quod studiis impertitur. Equidem si quid erit alibi impendendum, laudo heic potius consumas, nimirum ars est, & inter cæteras nobilis, & libero, mihi ut videtur, homine digna. Ego vero tum inquam, usque adeo nobilissimam dignissimamque Regi semper hanc artem existimavi, ut ne ab liberalibus ipsis disciplinis separari posse crediderim. Quid? Ergo inquit ille ὄγδοον σοφόν. An non satis visæ tibi sunt sorores septem, nisi & octavam adoptaveris. Non ita, tum ego inquam, verum si, postquam in hunc sermonem devenimus, quanta sit hujus dignitas artis, considerare paululum. Ingentissima certe vel ex hoc ipso patebit, quòd apud omneis omnium gentium ac seculorum populos, tanta ei semper habita fuerit, ut nihilo plus majore apud eos admiratione, quivis

vis optimi Scripres fuisse intoveniantur, quàm optimi Sculptores. Nam quid, rogo, Praxitelia illa quam Gnydiis fecit. Venere decantatius? Quid Phidiaca illa, quam Athenis in arce locavit Minerva, & Olympio Iove dignatius? Quid Lyndiis, Sicyoniisque colossis, Apellæisque tabulis, in toto jam terrarum orbe, ut nunc loquuntur, famigeratius? Illi quidem agunt verbis, at verò hi rebus: illi narrant, hi vero exprimunt, explicant. Illi fastidiosissimos aurium sensus non semper trahunt. At vero hi & oculis satisfaciunt, ac tanquam pulcherrimo spectaculo captos omneis homines tenent. Equidem ipse sic existimo, tanta inter sese, & similitudine & propinquitate conjunctos, ut sejungi se nullo modo patiantur. Et quid nos præterea separabimus eos, scilicet qui nec ipso nomine discerni possunt? Redeant age paululum prisca Demosthenis secula, cum illi γραφίας diceret. quos? Scriptores ne an pictores potius sculptorésve intelligemus? Cum rursus ἀγαθάρχου γραφὴν nunquid? Agatharchi scripturam potius, quàm picturam Agatarchi? Γραφὴν quidem verbum commune hisce omnibus esse & antiquissima Ægyptiorum ratio docet Pingere ac sculpere eos oportebat, cum quid vel significare, vel monentis demandare volebant. Et apud nos Poeta ipse noster comprobat, qui Dædali cælaturam perlegisse Aeneam facit. Alii aliter: Ego vero ita sentio, eam esse adjectam utreisque necessitudinem, ut vix sine alteris alteri constare satis possint. Quam rem, si paulo diligentius perscrutari libuerit, vel in primis ipsa nobis natura significare videtur, quæ nos semper, cum quid ὑπεργικώτερον volumus, impellit cogitque ad eam ipsam rem describendam. Tale quid erit è Trojano bello reverentis, Hac ibat Simois, quæ est Sygeia tellus, Hic steterat Priami regia celsa senis. Ac rursus apud eundem, eloquens vir ille, Heic inquit Troja est, muros in littore fecit, Heic tibi sit Simois, hæc mea castra puta. Nam quorsum hæc? nisi ut intelligatur, parum recte, humana eos ratione disjungi, quos natura tantopere conjunctos es-

se voluerit, ac quondam, ut diximus, necessitudinis vinculo fecerit esse cognatos. Quin etiam viros esse nunquam eos censuerim, quos Sculptoria hæc ars non oblectarit. Nam cum ex animo & corpore constemus omnes, si qua modo spes est immortalitatis, ac non partim vivere, partim & emori optamus, Quid rogo ad utriusque memoriam conservandam, hac arte convenientius? Quid & in hominum vita præstabilius, postquam ad aliquid peragendum nati omnes sumus, quam & disciplinis animum, & corpus hujuscemodi præclaris artibus exerceri? Quando toga nos, & laurea nos, jam pridem deseruerunt. Equidem sic ego vitam à puero institui meam, ut nulla, quantum in me erit, ejus unquam pars sit ocio deperitura. Atque id temporis quod vel tessellis ludendo, vel urbem totam pervagando conteritur ab aliis adolescentibus, decrevi ad hæc ego sculpendi munera transferre, quæ mihi cæteris aliis artibus honestiora videntur, & his nostris (ni fallor) studiis accommodatiora. Nam quid rogo artem attracturo mihi aliquam, poterit honestius esse, ea illa, quam & Socrates, & ipsi etiam cum Socrate nostri Imperatores, non approbarunt modo, verum etiam diligentissime perexercuerunt? Nec vero censenda hæc Regi, qua cæteræ istæ Sellulariolæ, ut sic loquar, artulæ, sed qua potius deorumque hominumque, ac totius naturæ sapientissima imitatrix, quam qui non amat, quam qui non complectitur, ut Philostrati verbis utar, veritatem non amat, sapientiam, quantacunque in Poetas cadere solet, omnem propulsat, ipsamque ab se rejicit Symmetriam, sine qua nullum quidem dictum aut factū constare unquam potest. Hæc ego cum dixissem, valde inquit Regius, institutum hoc tuum probo, tibique gratulor, nimirum ad sexcentos annos dicere primus Sculpturam cum literis conjunxisse. Sed perge, Valde quidem istæc me tua delectant, & jam dudum artem ipsam vehementius admiror. Quod si mea hoc ætas pateretur, profectò ei me totum dederem, longe enim inde mihi melius sperarem fore, quam ex Cicerone ac Quintiliano. Age igitur

igitur Statuariam mihi amabo omnem ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους explica, ut cum Venetias postridie rediero, habeam quæ Pyrgoteli respondere possim promptius. Hic cum subridere me animadvertisset Regius. Quid inquit, rides: Rideo inquam ὑπὸ βαρβαρικοῦ τρόπου, uti istis videtur, te Venetias pronunciasse. Ast cave, ne dum Græcitatem in omnibus sectandam putes, parum etiam Latinus videare nostris Epyrotis. Tum ille; antiquum est inquit T. literam suo ipsius sono proferri, sed perge, satis quidem de hac re disputatum heri à nobis fuit. Vix hæc dixeramus, ecce tibi pulsatæ concrepuerunt fores, Nunciatum est, venisse Nicolaum Leonum, virum sine controversia doctiss. simul etiam Statuariæ juxtaque nostri amantissimum, Peripateticæ is scholæ magister. Nec tamen ab Academia nostra dissentiens. Græcè philosophiam eam, quæ est de rerum natura, edocebat, tanta omnium mortalium existimatione, ut cum quolibet Græcorum Philosophorum comparandus meritò videtur. Postquam igitur ei repente occursum à me est. Oportunè inquam Magister, nam ad quod veneris scio, Putoq; id me tibi jam perfeciſſe. LEO. Bellissime, sed qui sermones erant, cum ego advenissem, vestri. De Sculptura ego inquam loquebamur. LEO, Pergite, nihil equidem mihi poterit esse jucundius, quam de hac ipsa re vos differentes audire. REG. Id ita hodie evenisse vehementer gaudeo, Nam & ego in partem beneficii liberior accedam, & tu tibi semel duos perstringes. Hoc autem qui pernegare audeas, Nunquid ego tum inquam, Regi jam dudum commutasti animum, & velis forsitan Rhetorica illa tua derelinquere, atque ad Sculptoriam pertransire? Ille autem, Negabis igitur tu occasionem sequendam, ac si quod forte bonum acciderit, minime id captari oportere? At vero, si ita Ego inquam persuasum habes mi Regi, ab aliquo istorum, qui exercitent venditentque, exquirenda tibi artis præcepta sunt non à me, qui nullum unquam magistrum audierim, qui relaxare animos in ea sim solitus, ac non defatigare. Quomodo igitur, inquit ille, tan-

tum in hac arte profectum es consecutus, nullo doctore? Quod si tute tibimet πόμπος fueris, atque αὐτοδίδακτος, quemadmodum? id scire cupio. Ego vero tum inquam, nihil tam arduum, tamque admirabile in humanis rebus esse existimo, quod hominum non possit industria confici. Illud idem huic mihi usuvenit Leonice, quod in cunctis evenire artibus scripsit Aristoteles tuus, experientia ut adjutus ad id sola fuerim. Præclare quidem Polus hanc artis in experientiam fortuiti eventus, dixit esse magistram, LEON. Agnosco jam verba Græca, scilicet inquam meo auspicatu, meo & ductu, ita enim in arcanis custoditur ars, at non intimi modo ac familiares, sed ne germani quidem fratres, intro admittantur. REG. Sic sanè se res habeat, aggredere tu eam, & qualem ipse tibi confeceris explica. Neque enim te istorum esse similem putamus, qui sibi solis se natos existimant, invidentque bona cæteris. Ego vero inquam lubentissime, nisi quid fortasse Leonicus. LEO. Istuc ipsum, quei postquam consedere, ita ego exorsus sum. Et si hæc mihi potius è vobis intelligenda essent, non dubitabo tamen, quoniam sic vos velle video, potius quodcunque ineptitudinis obire periculum quam ullius ingratitudinis accusare. Equidem nihil vobis placere nunc ambigam. Liberius vobiscum agam, agam & familiariter. Ne autem ab nemore Pelio repetamus, satis quidem constare debet hoc omnibus, Sculptoriam artem, sicut & cæteras, variis ac diversis naturæ principiis originem habuisse. Nam sive casu aliquo, sive solertia cœperint homines, certa truncisve aut lapidibus, ex umbra similitudines imitando, naturam ipsam æmulari, disquisitione haud opus est, dum natura artificioque profecta ac perfecta omnia intelligantur. Statuarium quidem usum priscis omnibus seculis fuisse, tum Græcorum, tum etiam Barbarorum historiis manifestissimum. Earum autem fingendarum rationem hinc plerique natam arbitrantur, uti scilicet eorum, qui præclarum aliquod facinus peregissent, aut in vita quid utile adinvenissent, memoria perduraret. Cæterique ad eos æmulandos

dos ejusdem honoris, quo magis dari nihil posse videbatur, spe raperentur. Quæ causa Ciceroni fuit, ut Octavio Lepidoque statuas in foro decerneret: nonnulli vero ex mortuorum, aut eorum qui abfuturi erant desideriis, ut pleraque omnia apud Aegyptios id primum cœpisse tradiderunt, utcunque sive virtus, sive amor in causa fuerit, sive potius utrumque. Certe nihil ab homine majus excogitari potuit adversus mortalitatem suam, & adversus invidiam Deorum. Atqui quod egregiam civium virtutem significare potest, tantus Romæ Statuarum, & Privatarum & Publicarum numerus, ut non minor fictus quàm verus populus fuisse tradatur. Principes ipsi longo ordine suorum imagines, tanquam insigne nobilitatis unicum, Pompa & Atriis præferebant. Docti vero, atque eruditi, non minus & ipsi Statuis signisque refertas Bibliothecas suas esse studebant, quàm libris. Mihi pol quidem Cicero ipse videtur non tam Verrem accusare, quam præclaram illam tot egregiorum artificum & signorum rapinam invidere. Sed nunquid priusquam de re ipsa dicere incipiamus, qualem velimus esse sculptorem, breviter ac summatim recensebimus? LEO. Vt libet. REG. Berge igitur, ac sculptoris tui qualem velis imaginem nobis effinge. Tum ego sic, Primum quidem, ut ab summo capite incipiamus, nam supremo humili ne quis ortus loco recte agat, modo ille traditam dignitatem tueri studeat, hic partam adipisci, minime laborarim. Omnibus enim artibus quantum fieri poterit, instructum, ac planè literatum cuperem, qui scilicet quàm plurimarum rerum, & fabularum & historiarum notitiam habeat, Laudis deinde ac gloriæ studiosissimum. Nihil enim video, quid possit eruditio sine laudum cupiditate, Laudum ipsa cupiditas sine eruditione, ita alterum alterius præsidio semper innititur. Liberalem præterea ad minime sordidum, qualem superioribus annis Donatellum Florentium fuisse accepimus. Fertur enim ab iis, qui eum noverunt, pecuniolam omnem in Cistella semper habuisse, ita

se, ita ex officinæ tigno suspensam, ut quando vellet, & quantam quisque vellet accipere, atque uti frui suo jure potuisset. Præclarum facinus, atque ipso Donatello dignum. Prudentem etiam minimeque ineptum, qui scilicet certam quandam in omnibus rationem esse intelligat. Nam cum omnes verbi gratia Statuæ, pedestres fiant aut equestres, aut stantes, aut sedentes, aut incumbentes, publicis in locis aut privatis, togatorum hominum aut laureatorum erit diligens in singulis adhibenda ratio, qui ornatus quidve rem quamque deceat. Etenim accommodanda sunt omnia ad personarum, locorum, temporum, ac rei naturam. Nam quod in Græcorum proverbio est, non omnia eodem modo omnibus, cum in eisdem plerunque rebus diversissima esse ratio soleat. Alia enim in C. verbi gratia, Cæsare Imperatore, alia in cons. alia in eodem ipso dictatore convenient. Nec Herculem ipsum semper eadem decebunt, vel cum Anthæo luctantem, vel cœlum humeris sustinentem, vel deiaviræ amplexus petentem, vel Hylam quæritantem. Nam veluti hæc fieri eodem uno tempore nō potuerunt, ita nec semel eidem poterunt convenire. Non tamen quin singulæ interdum statuæ effici non possint, ita variis insignibus distinctæ, ut pleraque semel intelligantur. S. Scipio ante ætatem Cons. cum Imperio Carthaginem missus. Hasdrubalem prælio superavit Carthaginem vicit, devicta Carthagine triumphavit. Pacem P.R. adtulit. P. Scipionis Statuam ita effingemus, ut & juvenis & cons. & imperat. & Bellator, & victor, & Triumphator, atque etiam pacificator dignosci manifestissime valeat, cujusmodi fuisse Domitiani Statuam ex Papinij sylva contemplamur, & Paridem ab illo factum, Pastorem, Iudicem & arbitratorem. Antiquarium quoque qui sciat, cur verbi gratia Mars apud Romanos duplex, Gradivus & Quirinus, Alter in campo olim extra alter, in foro intra urbem colebatur. Cur & Venus apud Lacedæmonios armata, apud Archades nigra, apud Cyprios barbara virili Sceptro, muliebrique ornatu. Cur in Ægyra pone fortunam Amalthiæ cornu præfe-

præferentem Alatus amor ac mille ejusmodi, quorum omnium causas Sculptor tenere debebit, ut cum quæratur, quid sibi velit, ille in Thessalia tres oculos habens Iupiter: Respondeat sic: Fertur id signum Laomedontis fuisse mox & Priami regis in medio Aulæ sub divo sacratum, Quod & noster Maro innuit, Ædibus in mediis nudoque sub ætheris axe Ingens ara fuit ad hoc ipsum cum à Græcis Troia caperetur, cum Hecuba uxore, ac natis frustra confugerat. Nam à Pyrrho interfectus illic tamen est, mox deinde id signum à Stheleno Capanei Larissam, translatum. Quod autem quisquis ille fuerit artifex tertium in fronte oculum fecerit, puto ob hanc causam, ut triplicem Iovis potestatem significaret, duobus terram & mare altero cœlum spectat. Itidem rogatus, quid faciant in Lysimachi regis fronte Cornua. Quid in C. Cæsaris vertice stella, in M. Bruti pileolus, ac duo pugiunculi, Rationem reddens dicat, illum de Alexandri sacrificio, solutis vinculis elapsum taurum ambabus manibus comprehensum tenuisse. In alterius cæde Cometem apparuisse. In hujus autem præclaro facinore Pileatam plebem, libertatis enim signum pileus, per urbem excursitasse, visamque Bruti & Cassii Pugionibus libertatem restitutam fuisse. Sed enim cum Equestres potissimum ponantur Statuæ, si modo rusticano Equitatu Equitem deformare noluerit, Nonne optimum insessorum eum esse oportebit? aut saltem equitandi rationem ipsam tenere? Ea autem quando vix est & nostris militibus cognita duplex. Vtinam hæc mihi contigissent, interpretari potius quam edocere. Nam Sarmonis olim nihil, & si qua à Polluce tradita præcepta sunt ad rem nostram nihil. Altera quidem, qua levites vehimur, cujus ratio & cæteris qui equo vehuntur communis. Altera qua scutati in prœlium ducimur. In illa assidentis species est, in hac verò astantis, Curvabuntur illic poplites, hic intendentur, Pedes illic planam habebunt firmitudinem, hic digitorum extremitatem deflexam, qualis esse solet contra innitentium, ad equi aures directam, ne stimuli semper

ilibus admoveantur. Quod quidem facilius fiet, si illic ad equitis sesquicubitum, heic ad bicubitum protensis stationibus offirmati pede fuerint. Illic molliter supina cervice pectus ostentatur: Hic fortiter declinato vertice siniſter humerus præfertur. Illic levem interdum virgam habere dextra solet, Hic hastam, ensem, aut clavam gestare, lævaque regendis nunquam cessabit habenis. Nam qua moderandus sit arte: equus, cum jaculatur, quid cum punctim cæsimve feritur observandum, ut sit Clogmo ad cursum sonipes excitandus. Interdum & Poppismo inhibendus, paulo remotiora. Nec plus id doctrina quàm exercitatione comparabitur. Nos vero ad nostrum Sculptorem, scilicet quam maxime ἐυφαντασίωτος esse debebit, qui videlicet dolentis, ridentis, ægrotantis, morientis, periclitantis, & ejusmodi infinitas animo species imaginetur, quod etiam Poetis ipsis & Oratoribus quàm maxime necessarium. Nec tamen nisi quatenus ipsa rei natura patietur, ne velut ægri somnia vanæ fingantur species, dolentis illud, Excussi manibus radii revolutáque pensa, Morientis hoc, Sternitur infœlix alieno vulnere cœlumque aspicit, & dulces moriens reminiscitur Argos. Vt reliqua omittamus, quorum exemplis refertissimus est idem Poeta. Quid? Nonne ipsos ante oculos vestros habere videmini, Consternatam audita morte filij mulierem, atque ipsam peregrini hominis moribundi mentem? Quid vero & illud? Pulchrosque per artus It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit. Item, atque illi in partibus æquis huc caput atque illuc humero ex utroque pependit, Corruit in vulnus gemitum super arma dedere, Sternitur infœlix Acron & calcibus atram Tundit humum, expirans. Ac mille ejusmodi quæ apud hunc Poetam invenias. Præterea & καθολικὸς, hoc est, qui omnium quas exprimere voluerit rerum conceptas animo species contineat, reddatque. Sed nunquid rerum omnium concipiendæ Sculptoris animo species? Plane omnium, sed ut Philosopho rerum cunctarum cognitio datur, ut hominem, sequ

que cognoscat. Medico succorum vires, ut hominem sanet, Civili Legum atque actionum scientia, ut hominem in officio contineat: Ita Sculptori rerum omnium species comprehendendæ, ut hominem ponat, quo tanquam propositum tota ejus & mens, & manus dirigenda, quanquam Satyriscis, hydris, chimæris, monstris denique, quæ nusquam unquam viderint, fingendis ita præoccupantur, ut nihil præterea reliquum esse videatur, Dii Deæque omnes neminem unum esse, qui quo sibi proficiscendum sit videat, qui ad finem respiciat. Supreme parens Iupiter, ita ne nos miseros mortales in Cebetis tabulam relegasse, ut qui sanus inveniatur sit nemo, ut qui ab Apate ebriacus factus huc illuc non rapiatur sit nemo. Et tamen sibi quisque sapimus omnes. Nec vero solum nostri Sculptores, quibus jam ob ignaviam ignoscendum, spumantem ab illa pateram hausêre. Verum & illi, quos tu festive gregarios appellare soles, Philosophi tui Leonice, ita sese madidos proluêre, ut nulli mortalium deerrent magis. Nam cum omnia ἦδι τὸ πᾶν dicant, illum tamen quem sequamur, ipsi finem non vident, sed esto jam hoc nostrum in parergis insectandis parergon, nos ad Sculptorem nostrum revertamur. Abesse quidem ab eo omnis debet κολακεία, hoc est, ne quid formæ supra veritatem adjiciatur. Quæ cum cæteris in rebus improbe fiat, tum vero in Sculptura improbissime, ut quæ non unum semel eblandiens fallat, sed frustretur perpetuo cunctos. Ad summam, nisi quis præter dexteritatem ingeniosissimus sit, ad Sculpturam venire neminem permittamus. Nihil autem, ut sæpius eodem revolvamur, sine literis, sine eruditione, Literas vero atque eruditionem cum dicimus, illarum potissimum disciplinarum cognitionem intelligi volumus, quæ à Græcis μαθήματα dicuntur, Arithmeticam, Musicen, & Geometriam sine queis perfecti quidem esse nihil potest. Non tamen qui prorsus ego inficias ire audeam non inveniri, atque extare quàm plurimos, qui & si illiterati, excellenter tamen multa. Neq; enim idcirco quenquem vituperamus,

hortamur potius omnes, commonefacimus omnes, id quod certissimum, id quod & optimum sit sequantur. Novi equidem plures, quibus si qua supra adcessisset doctrina, haberemus sanè nunc quos cum antiquioribus ipsis comparare possemus, ita ad eam, de qua nunc agitur, rem, aptissimi sunt visi. Neque vero ferenda hoc loco nonnullorum ignavia, qui cum in hunc sermonem mecum incidissent, non veriti sunt dicere, conferre quidem si adsint, sed non omnino necessarias Sculptori literas. Satis ei esse, ut ajunt, artificium, & quatenus licebit naturam sequi. Recte id quidem, sed ubi rogo istud invenietur artificium? Num quotidie in templis, in porticibus, in plateis in foro stupescentes astare, in privatis cerdonum ædibus versari. Refertas omnibus signis cellulas habere, gypso plenas arcas custodire, mirari rursus spectare, inhiare, quod belli apparuerit imitari, in vestrum opus transferre. Dicemus id esse artificium? Dicemus id esse naturam sequi? Atque id quidem non multo secius est, quam si quis Poeta aut Orator foris futurus, hinc atque inde de Vergilio Ciceroneque verba suffuretur, ignarus quoque quid tum agat. Sed non possum equidem non mirari, cur tamen ipsi sua ratione nequeant, quod olim Phidias, Polyclerus, Lypsius, Chares, quodque nuper Donatellus. Nempe quia quibus illi excellebant, doctrina omni & eruditione carent, quia & Donatelli abacum non habent. Scitum quidem est, quod fertur de Donatelli abaco. Is cum rogaretur à M. Balbo nobili viro, inspiciendi sui abaci copiam faceret. Respondit, postridie mane domum ad se veniret, idque se quàm lubentissime facturum. Ille ubi venit, prandioque susceptus est, præter hunc quem hic vides, inquit Donatellus, nullus est mihi Balbe alius abacus, nisi quem soli mihi contueri licet, quem nullis impedimentis, nulla sarcina mecum ipse semper porto. Si tamen videre quid cupias, afferte huc Pusiones cum stylo papyrum, Illicet depromptam abaco quancunque historiam dimirabere, sive Palliatos sive Togatus, sive & Nudos spectare libuerit. Sed prorsus jam valeant, qui non censent

censent oportere Sculptores literatos, hoc est ingeniosos esse: Etenim cum nihil plane quicquam effici possit, quod notione prius atque idea cognitum non fuerit. Quo me melius feram, si quis à me Colossus effabricaretur, quàm ad Vergilii Polyphemum, illum quem mecum ipse vehementer mirari soleo, Monstrum, horrendum, informe, ingens, aut ad Homeri hunc:

Καὶ γὰρ θαυμ' ἐτέτυκτο πελώριον οὐδὶ ἐώκει
Ἀνδρὶ γε τῷ σίτοιο φάγῳ ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
Ὑψηλῷ, ὀρέων ὅτε φαίνεται οἶον ἀπάλλων.

Amabo vos, nunquid vivaciorem intelligitis, ipsum Donatelli Equum, quo nihil quidem perfectius esse volunt? An hunc qui conterranei mei Poetæ versibus sic exprimitur?

At Sonipes habitusque animosque imitatus equestres,
Acrius attollit vultus, cursumque minatur,
Cui rigidis stant colla jubis, vivitque per annos
Impetus, & tantis calcaribus ilia late
Suffectura patent, vacuæ pro cespite terræ
Aenea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Age si quempiam fabricari equum velletis, propositis hisce duobus tanquam modulis, Vtrum potis imitandum Pomponio juberetis? Scilicet videbunt plus isti, quàm Deus ille Statuariorum Phidias, qui quum Olympicum Iovem perfecisset, fassus est, se non alio illic magistro usum, quàm his Homeri versibus.

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum, quid majus vel dici, vel intelligi potuit? Nonne ipsum prope Iovis imperium Majestatemque verbis ipsis effinxisse videtur? Habetis igitur, qualis esse debeat is, qui optimi Sculptoris nomen sit consecuturus, non quidem Platonis nostri civitatem, aut Ciceronis Oratorem, sed qui facillime & inveniri & extare possit. Si vero haud satis probabiliter à me dictum esse videbitur, expecto quid & vos sentiatis.

tis. Nihil etenim mihi certius videri poterit, quam quod vobis placuisse cognovero. REG. Recte mihi quidem omnia. Et profectò simul tantum dignitatis atque auctoritatis adjecisti, ut quæ antea diligere videbar, nunc deamem. Sanè quidem sic res se habet, & tecum jam sentio, non modo Sculpturam sine literis, sed ne literas quidem sine Sculptura consistere posse. Atque ut necessariam Oratori Iuris Civilis scientiam Fabius, ita & ego cæteris scriptoribus necessariam γεαφικὴν existimabo. Sed amabo te inquit, quandoquidem multum ocii nobis hodie datur, atque hujus novæ artis avidi facti sumus. Sequere, satis quidem & laudata à te Sculptura est, & optimum Sculptorem effinxisti, qualem te esse & verbis, ut inquiunt, & rebus significasti. Aggredere igitur & reliqua, ut cum artem ipsam demonstraveris, nihil planè huic sermoni nostro defuisse videatur. Tum ego, libenter inquam, ac postquam ultro non invitati ad prandium nostrum venistis, faciam qualitercunque, ut nunquam hodie à me, nisi ad plenum exatiati recesseritis. Itaque tum id illis expectantibus, jamque ad audiendum apparatioribus, cœpi ego sic. Fieri quidem Statuas ex diversa, uti & nunc materia, semper consuevisse, notissimum. Ex ligno: Gens primum truncis ac duro roborenata. Ex Ebore, ex Argilla, ex Gypso, ex Lapidibus, & ex Metallis. Qui Ligno Eboreve Statuas conficient, Desectores vocentur. Qui Argilla. Græco vocabulo πλάσται, à nobis Fictores nominabuntur. Qui Gypso, si placeat γυψοχόοι, qui Lapidibus, quos video à quibusdam λιθοξόους appellari. Quoniam præcipuum ac peculiare magis marmor, Marmorarii, Itemque à Scalpendo Scalptores, qui Metallis γλύπται, à nobis Sculptores. Excussores enim ærarios quos Græci χαλκέας vocant, eos dicemus, quicunque vasa aut quid tale fabricantur, Statuariorum vero appellatione, quos ἀγαλματοποιοὺς illi appellant, generaliter omnes continebuntur, qui quovis pacto Statuas effingent. Statuaria igitur omnis in quinque distincta species est. Cum Ligno Eboreve tractabitur, ab abscindendo τομικὴ dicetur.

Cum

Cum Argilla, quoniam figulorum est, πλαστικὴ nominabitur. Cum Gypso, quod eo typos imitamur, παρεμπλαστικὴ, nos Exemplariam appellare poterimus. Cum Lapidibus, ubi scalpello utimur, à percussione κολαπτικὴν, sive Sculpturam. Cum vero Metallis γλυφικὴν, hoc est Sculpturam. Cujus quidem ratio duplex, Nam aut cera fabricantur, & à deducendo ἀγωγικὴν. Aut informantur, & à fundendo χημικὴν enuncupabimus. Hæ autem ita inter sese omnes junctæ connexæque sunt, ut cunctas novisse videri poterit, qui unam earum aliquam noverit. Sola enim circa quam versantur materia differunt, arte verò ipsa atque intentione conveniunt. Ex quibus quoniam γλυφικὴ, uti subjecta materia, ita & artificio multiplicior est, eam expediamus. Ac primum περὶ ἀγωγικῆς. Neque vero expectetis à me, ut dicam quo in cera, quove in creta sit temperamento utendum, aut quam in omnibus diligentiam adhibendam. Non enim nunc τὰ πρὸς τὴν πρακτικὴν. Cum voletis autem ego vos ad officinam vocabo. Cera tamen ad id quod volumus medicabitur, quam commodissime πισσάσφαλτω, quam vulgo alii ex vocabulo Græcam, alii ex loco Hispaniam Picem vocant, si prius oleo aut pauculum sevo colliquata fuerit, quarta portione. Medicabitur & cæteris Resinis, præcipuè Terebinti, Piceæ, ac Lentisci. Nonnulli eam quæ deraditur è navibus Picem probant, & qua ferrum vernicatur. Sed hoc non nisi in iis, quas manere voluerimus typos. Terebintina autem, Piceque & Armenio rectius, usos eo plurimum in signis veteres animadverti. Quod si duricies expetatur, in Sigillis, Cera Punica ubi delicuit, cerussæ pulviculum bibat, fermè ad æquale pondus. Ea sic & niveum candorem æmulabitur, & marmoreum nitorem præstabit, sed hoc non erat propositum. Ἀγωγικὴ igitur, quam nos Ductoriam vocemus, duabus hisce consumitur rebus, γεαφικῇ & ψυχικῇ, Graphicen vero, quam nostri in scriptore descriptionem, in Pictore & Sculptore designationem vocaverunt. nam Lineationem quæ γεαμμικὴ dicitur, Architecto damus, usque adeò necessa-

riam

riam Sculptori judicavit Donatellus. Sic enim accepimus, ut plerunque discipulis dicere solitus fuerit, uno se verbo Sculptoriam artem eis omnem traditurum, cum dicebat, Designare, &c. Et profecto id est totius Sculpturæ caput ac fundamentum Ea vero duabus etiam hisce rebus maxime constat, συμμετρίᾳ: quæ nondum sibi Romanum nomen invenit, nisi fortasse Latinam linguam augentes, ut Cicero ait, commensurationem dixerint. Et ὀπτικὴν quam perspectivam appellant. De Symmetria igitur nunc pauca dicamus. Qua in re illud à tua philosophia non alienum Leonice, considerandum, hominem ipsum quem præcipuè dimetiendum suscepimus, materia constare & forma. Formam autem hic nunc eam intelligemus faciem, qua hunc ab illo discernimus. Materiam verò corpus ipsum. Corpus autem omne in treis dimensiones partiri, in longitudinem, amplitudinem, profunditatemque. Formam vero ipsam lineamentis comprehendi. Quare de corporis Symmetria primum, mox de lineamentis. Mensuram igitur, hoc enim nomine Symmetriam intelligamus, cum in cæteris omnibus quas natura progenuit rebus, tum verò in homine ipso admirabilissimam & contemplari & amare debebimus. Ita enim undique exactissime dimetiatis partibus compositum est nostrum hoc corpus, ut nihil plane aliud quam Harmonicum quoddam omnibus absolutissimum numeris instrumentum esse videatur. Sed age, Non enim de Timæo Platonis, qui & à Cicerone Latinis explicatus est literis, hominem ego vobis referam, quod ad nostrum hunc institutum sermonem attinet, cum longe aliter quam Architectus, vivum stantemque dimetiamur, scilicet in novem de longitudine portiones. Ita etenim hominem ipsum solers natura formavit, ut faciem hanc summo loco spectandam proponeret. Cæteræque totius corporis partes commensum inde susciperent. Constat autem ipsa tribus pariter dimensionibus una erit ab summo frontis, qua capilli nascuntur, hîc ad intercilia, Altera hinc ad imas nares, ultima, ab naribus hîc ad mentem, Prima sapientiæ

pientiæ secunda pulchritudinis, tertia bonitatis sedes. Hæ autem ipsæ per se, ut ajunt multiplicatæ, integram, quanta erit humani corporis staturam reddent, novem portiones. Prima erit facies ipsa. Secundam faciet portionem pectus. Ab summo stomacho ad umbilicum tertia, Ab hoc ad imum femur. Quarta, duas continebunt coxendices ad poplitem, Totidemque ab hoc ad nodum crura. Pars autem hæc infima, quæ est à nodo ad imam plantam, Gutturque hoc quod est ab summo pectoris ad summum gulæ. Atq; hic semicirculi arcus, qui fit ab summa fronte ad summum verticem, unam aliam conficient portionem. Nam horum junctura nodi poplitesque tanquam interfinia nullis suam cedunt proprietatem. Constabit igitur humanæ staturæ longitudo, portionibus, ut dictum est, novem. Quanquam alii octo, Alii quod rarius est, est enim tanquam in Musice dissonum fermè, septem, Alii, quod & rarum etiam est, decem fecerunt. Nos medium, & quod in plerisque omnibus mortalibus frequentius erat, secuti sumus. Ac de Adulto loquimur viro, non de putis infantibus, quorum in longitudinem mensura omnis nisi quatuor constat faciebus. Nam per singulas ætates Symmetria, quæ in prima, media, atque ultima pueritia, item adolescentia, juventute & senectute deprehendatur. Certi nihil nunc afferre possemus. Et jam cogitamus in puero, si quis mihi nepos ex sorore nascetur, eam omnem observare, atque observatam literarum monimentis demandare, ut aut beneficio mihi gratam posteritatem devinciam, aut certè ad aliquid semper quod expediat excogitandum exemplo excitem. Nonne summa stultitia est, hominem terrasque tractusque maris, cœlumque profundum dimetiri, & suam mensuram ignorare? Brachiorum autem alterutri, pariter lacerti, sesquialteram continebunt portionem, manus una aliam, Quamquam sint qui metiantur sic: Ab humeris extrinsecus ad junctura articulorum, ab Ascellis vero intrinsecus ad confinia palmæ ac digitorum, facies tres, alterutri autem articuli una. Quomodocunque id parum refert, modo

brachiorum tota longitudo septem contineatur faciebus ut dispersæ manus rectam ipsam corporis longitudinem definire inveniantur. Pedes autem ita ab extremis talis ad extremum unguem producuntur, ut eandem bis ter & uno altero tribus ferè minus digitis commetiantur. Non enim hoc loco obscœni dei semipedalem fuscinam, aut deformem illum, unde egressi omnes sumus hiatum, ut nonnulli dimetiendum curabimus, cum præsertim latère semper nisi in pueris honestissime soleant. Considerandaverò & ipsa inter se partium ἀναλογία quam alibi proportionem, hic ni fallor, propriè commensum dixerimus. Quanta est longitudo ab interciliis ad summas nares, tanta erit productio menti ab jugulo. Quantaque est ab summis naribus ad mentum, tanta ab jugulo ad imam gulam. Hoc est semiportione, quantum est superioris labri intervallum ab ore hinc ad nares imas, tantundem erit summarum narium prominentia ab labro, tantundemque & oculorum ab interciliis ad interiores angulos concavitas. Præterea in manibus, quod est extrinsecus ab summo ungue indice ad junctura hanc imam, continebitur semiportione, Ac rursus hinc ad eam qua brachio colligatur manus alia. Sic & intrinsecus ab summo ungue medio. Primus autem hic indicis articulus major, correspondebit fronti. Secundus hic cum Onychio ad extremum unguis naso. Primus item medii, huic quod est ab naribus ad mentum, ejusdem secundus, huic quod ab imo mento ad inferioris labii supremum, ejusdem Onychius huic quod est ab ore ad inferiora narium. Indicis eodem ab supremo labri superioris. Major pollicis articulus coæquabitur huic, quod est ab mento ad summum labii inferioris. Minor huic quod est ab nare ad eundem. Onychiorum autem articulorum omnium dimidiatam sibi partem occupabunt ungues. In latitudinem verò frons, ab hac media, quam & discriminaticem appellare possumus linea, hinc inde ad prima hic tempora definietur, sua bis longitudine. Ab interciliis ad extremos oculorum

rum angulos, atque hinc ad primas aures harumque longitudo, tantundem. Id verò spacium quod est inter utranque extremitatem oculorum. Ex duabus iisdem dimensionibus, in treis partes distinctum, duas oculi, unam sibi intermedius nasus vindicavit. Oris latitudo si per summum labii metiamur, respondebit fronti nasóve. Sin circino illi spacio, quod est pollicis articulo majore definitum, ab labro superiore ad mentum. Pectoris latitudo faciebus continebitur duabus, spacium inter utranque mammillam una. Earumque certus situs ab inferiore gula, ejusdem dimensus circino deprehendetur. Palmaris autem plantarisque latitudo definiri semper invenietur semiportione. In altitudinem vero quæ sola circumlatione comprehenditur, ex supradictis mensura captabitur, hoc modo: Capitis per medium frontem altitudo, portionum est trium. Item & summæ coxendicis, per occipitium à summa fronte ad cervicem duarum. Itemque & infimæ coxendicis colli duarum. Pectoris per alas ad tergum quinque. Ventris per medium quatuor. Lacertorum, coxarum, crurum, pollicis, cæterorumque articulorum, summa circumferentia nunquam plus eorundem longitudine membrorum. Extremum brachii propter junctura manuum portione, propter nodum tibiæ etiam quarta. Altitudo autem hæc, quæ est ab imo talorum ad summum pedis, respondebit longitudini, quæ est istinc ab summo pedis ad extremum unguem. Colli circumlatio ei parti quæ est ab summo pectoris ad umbilicum. Corpus ne hoc quod tanto sit commensu fabricatum, an exactissimam potius Harmoniam esse dicemus? Qualem rogo Geometram? qualem & Musicum fuisse existimabimus eum, qui hominem ita formavit? Qualem vero esse oportere eum qui talem typum sit imitaturus? Laudatur Iulius noster, quod palladiam illam Mantenii nostri turbam, Cæsareosque triumphos tam bellissime sit imitatus. Num alius quispiam picturæ ignarus illud idem effecisset? Num aut Homerum, aut Demosthenem ad Vergilii Ciceronisque æmulationem imitabitur quis, qui

Poëticam Rhetoricamque nescierit: Nisi fortasse eum dixerimus, qui nuper ducta circino de Vergilii versibus mẽsura ad suos, deesse nihil aliud existimabat, planeque sic tanti Poëtæ videri etiam æmulus volebat. Equidem omnes, qui nunc vulgo habentur Statuarii, haud multum dissimiles ab illis scriptoribus existimarim, quos noster Calpurnius dicere solitus est, casu quodam tesserali verba jacere. Nec nisi ipsos rerum successus expectare. Intelligendum est autem, ejusmodi Symmetriam cunctis mortalibus, præterquam monstruoso, atque isti Pygmæo, qui in deliciis habetur populo, convenire, deprehendique in omnibus non secius quam Enharmonicum concentum in Musicis instrumentis. Vt enim in Cithara chordæ si protendantur, exacuetur accrescetque sonus. Sin contra laxatæ fuerint remittetur, eritque nihil minus eadem numerorum proportio. Ita & heic sive accrescat quantitas sive decrescat, idem tamen ipse commensus extabit. Neque enim paulo evidentiore exemplo agam, Andrion, Vincentius ac Vigetius Tarvisianus à Petreio Honorioque Sophistis, Symmetria, sed pineali differunt proceritate. Nam quantum illi universos totis humeris præcellunt mortales, tantum hi à cæteris exuperantur mortalibus. Sed de Symmetria jam satis, quanquam nihil de ea satis dici potuerit, scilicet de sculptorum parente, artificiorum omnium nutrice, amica totius generis humani, ex qua tantam jam laudem consecuti sunt, antiqui omnes & Statuarii & Pictores, & Architecti. Hinc est enim illud quod mirum videri solet omnibus, cum dicitur Artifices XXV. diversis & locis & temporibus ita statuam confeciſſe, ut ab uno semel facta esse videretur. Ad mensuram videlicet eãdem conveniebant omnes, Eadem utebantur proportione omnes. Hinc quoque est illud Pythagoricum admirabile, Herculis staturam ex olympico stadio adinventam hinc & mille alia, quæ cum dicuntur, miracula quidem audiri mera putantur. Verum enimvero intelligendum hoc loco quatuor prorsus esse ordinis Statuarum, pariles, magnæ, majores, maximæ. Pariles quidem fient, cum ejus qui

qui exprimitur Staturam undique præsentabimus, Dantur hæ benemeritis ac sapientibus viris, Armodio & Aristogitoni, Homero, Soloni, Hippocrati, Gorgiæ, Berosо, Pythagoræ, Platoni. Ex nostris L. M. & D. Brutis, Q. Mutio, Cleriæ viragini, M. Catonibus, Q. Ennio, M. Varroni, P. Vergilio, M. T. Ciceroni. Nunc nisi capiciatis. Magnæ fient, cum infra sesquialteram Statura continebitur, quæ & Augustæ dicuntur, quod Regibus Augustisque Imperatoribus dicarentur, Phoroneo, Lycurgo, Themisthocli, Zerliæ, Alexandro. Ex nostris Romulo, Numæ, Tatio, Cn. Pompejo, C. Cæsari, Cn. Octavio, ac reliquis quei in Deorum numerum referebantur Cæsaribus. Atque hinc arbitror illud quod moritura Dido sic queritur: Et nunc magna mei sub terras ibit imago. Dolet enim abnegari sibi & Statuam & ἀποθέωσιν, quæ minime dabantur iis, qui sua sibi manu turpiter mortem conscivissent. Majores dicentur, quando ad alteram excreverint. Ponuntur autem hæ solis Heroibus, Libero patri, Herculi, Theseo, & ejusmodi. Maximæ vero fient, quando ter geminabitur humani corporis statura, itemque rursus ac rursus. Quæ quidem statuæ vel à specubus, uti ego opinor, vastaque intus inanitate: id enim est κολοσσόεσσον: vel ut alii ab noxia radiorum effusione, quæ fieri solet ejusmodi moles intuendo, vel ab authore ipso colossi sunt denominatæ. Non possum hoc loco Regi non ridere intolerabilem istorum Grammaticulorum inscitiam, qui ab eo ipso insigni Rhodios Colossenses dictos existimarunt, ad quos extent Pauli perbreves Epistolæ. Verum an Colossienses ij sint, non plane affirmarim. Stephanus tuus, nam cætero mancus mihi est. Coryssem Ephesiam scribit fuisse urbem, à qua Coryssienses Dicebantur autẽ ejusmodi Statuæ Diis, Opt. Max. Iovi, Minervæ, Apollini, Marti, atque id genus cæteris. Quanquam Romani & Barbari Reges eas ipsas sibi, veluti & Augustiorem Actius vindicaverint. Extat etiam nunc Baroli, quod oppidum Apuliæ est ad Cannas Heraclii Colossus. Mihi quidem æternum tristissimæ re-

cordationis ob acerbissimam patris memoriam. quintus nunc agitur annus, ex quo proxime illic eum sepulturæ demandavimus. Sed jam mentem ad id, quod nobis propositum est, revocemus. Accidit autem sæpissime, ut rem ipsam, ex diverso minorem faciamus. Hoc etiam erit diligenter considerandum. Nam aut erunt parvæ, aut minores, aut minimæ, hoc modo. Secetur, verbi gratia, quæ novem consistat dimensionibus, Humana statura, hæc in has treis partes, hæ mox singulæ in trinas. Paryæ infra hanc portionem constabunt, quæ est ad sex, Minores, quæ est ad tria, Minimæ, quæ ad unum. Respondebuntque inferiora hæc superioribus inter se, sic, Primum hoc minimæ partis spacium, Spacio quod est minoris, quarto, & quod est majoris septimo, secundum quinto & octavo, Tertium sexto ac nono. Horumque rursus partes partibus. Quod si identidem fiat, Quantamvis Colossæam vastitatem pedali jam mensu definiverimus, hoc modo. Vtrunque vero sive majorem sive minorem ipsam rem feceris, asservata etiam qualitate, semel in hunc fiet modum. Esto hoc Gymnicum Athletæ corpus, ducantur nunc lineæ hinc à planta in directum huc usque, una dimensione, Item hucusque altera, item hucusque & altera. Ab summo autem vertice ad hujus extremum hæc. Si igitur intra hoc primum spacium referri eandem oporteret. Sic. Quum ab parilitate cadat, parvus dicetur. Si intra hoc secundum, nam fermè ad medietatem usque defecit minor. Si intra hoc tertium minimus, hoc videlicet spacio minutissima quæque finiuntur. Ducentur item ex diverso in directum, ambæ ad eandem unam dimensionem lineæ. Si proximiore hoc intus adaugeretur spacio, magnus Si hoc altero major, Sin & hoc postremo maximus dicetur. Præterea ducatur ab inferiore hoc majoris spacio angulo per summum apicem, triplici ejusdem in directum mense, sic ter geminabitur. Qua quidē ratione pueros adolescētes, senes quod antea mirum videri poterat. Eosdem ipsos magnos, parvos, majores, minores, maximos efficiemus. Hujus autem diversitatis ratio opinor hæc est, ut minores fierent,

vel inopia vel transportandi commoditas effecit, ut vero in centum & amplius aliquando cubitos accresceret, opulentia atque excellentior personæ dignitas. Æquum enim est, ut qui animo & auctoritate præcellunt, corporis etiam dignitate cæteros præstare videantur. Quod ipsum innuere videtur Homerus, his ipsis carminibus, quibus Vlyssem facit ornari à Pallade. Olli multiplicem, ex humeris tritonia pallam componens, auxit corpus, lætamque inventam. Vnde paulo dehinc post tanquam aliquis de cœlestium numero videretur. Sed ô certe divinam Mantuani nostri fœlicitatem, qualis verò illa obstupescentis Reginæ admiratio. Tune ille Æneas: nonne ex superiore illa causa processerat, Os humerosque Deo similes. Cyrum quoque post præclaram illam de Assyriis victoriam scribit Xenophon circa cultum majestatemque corporis diligentissimum Alexandrum Macedonem. Curtius ob pusillitatem ab Amazonum Regina Talestri habitum contemptiorem. Eundemque mox in castris ubi fuisset, amplioris formæ monimenta in posteritatis miraculum relinqui jussisse. Quam etiam causam fuisse existimo, cur augustiores specie humana videantur imagines nostrorum. Neque enim id tam in causa erat vulgo, ut imperiti existimant, quod multum ex ea re diminutum iri videbatur. si stata magnitudine fuissent, cum de alto prospectandæ ponerentur, quam quod excellens augustioris ejus dignitatis ratio servabatur. Illæ autem ipsæ Statuæ, quæ Diis fiunt, sive audacta, sive & retenta humani habitus æquabilitate Græcis εἴδωλα, propriè à nobis simulachra nominantur, Martis, Veneris, Minervæ, Cupidinis, Fidei, Fortunæ ac cæterorum Deorum, qui corporeis omninò formis carent. Quæ Heroibus illi ξόανα. Puto tamen initio sic vocatas omneis, maximèque numinum Aegyptiorum. Quæ Regibus ἀνδριάντας. Quæ sapientibus εἰκέλα, Quæ autem bene merentibus viris βρέτια vocarunt. Nam ἰκμαγεῖα quemadmodum & in Pictura εἰκόνες, de vultu opinor sunt, deque membris ipsis expressæ similitudines, quas nos imagines appellamus. Nam in reliquis frustra ullam

niemus appellationem. nisi fortasse unico vocabulo effigies dixerimus. Figura enim ea est, quæ in plano designatur linea, circulus, hominis atque equi circumscriptio quod ab illis σχῆμα nuncupatur. Ἀγάλματα quidem olim Homeri temporibus dicebantur, quævis templorum ornamenta, quæ spectantium animos afficerent, unde & nomen quod vulgo etiam remansit, habuere. Posterius vero generaliter & ipsæ Statuæ, quod ex iis potissimum ejusmodi ornamenta constarent. Quæ verò infra humani habitus staturam fient, universæ omnes Signa vocantur, unde & Sigilla, quæ intra minimam hanc erunt portionem, Cubitalis Palmarisve altitudinis, vel etiam quantum fieri poterunt Tantillæ, hoc est parva signa. Sed certe stultus ego, qui Grammaticam docere vos volui. Equidem nescio quomodo imprudens huc exierim. Detur tamen mihi nunc venia, si & Cicero idem sæpe fecerit, REG. Placent nimirum hæc, cum ita suo loco dicuntur. Nonne & summi quoque Philosophi interdum functi sunt munus Grammaticorum? Iuris autem Civilis cognitio num aliunde dependet? Equidem non Ciceroni modo, sed cuivis γραμματικοτέρῳ liceret arbitror, triduo posse se Iurisconsultum profiteri. Perge, Tum ego sic, Postquam igitur de Symmetria diximus, dicendum nunc de Lineamentis. Lineamenta autem sunt rectæ congruarum linearũ ductiones, ad uniuscujusque speciem demonstrandam. Linearum vero aliæ extremæ, quæ & ambientes dicuntur, cum extrema complectimur. Aliæ vero intermediæ, cum res medias significari, membrorumque junctúras distingui volumus. Ambientium autem ducendarum ratio, ex actionum varietate multiplex ac penè infinita. Possem ego totũ hunc æstivum, quantus est diem consumere demonstrando, ut isti aridiorem ex triangulo, pleniorem ex quadrangulo faciem constare doceant, uti intra horum fines, reliquum omne corpus sic intercludi oportere disputent. Recto quidem ut qui Platonis Timæum perdidicerint. Sed ab hac nostra docendi certissima serie aliquando remotius. Compertum

pertum enim habemus Lineamenta omnia, ex ipsa corporum Symmetria, ex Optica, ex Physiognomonia sumi, De Symmetria dictum. Mox verò de reliquis. Si prius ducendorum Lineamentorum rationem à me pridiè in picturis excogitatam commonstravero. Corporum quidem omnium latitudinem, nam longitudo fit semper. Altitudo autem umbris luminibusq; significatur, si depressa sint, ut pectus tergum, liber sua descriptione, Sic si rotunda, ut caput, collũ, brachia, coxæ, crura, digiti, columnulæ, & ejusmodi, ex tertia suæ in circumferentiam dimensionis parte finiri, hoc ut videris pacto. Nam quemadmodum in chartarum typis noctu atq; interdiu ex lucernæ solisque umbra circumscriptiones fieri possent, ostendere inertissimũ. Nunc igitur de Physiognomonica, nam de Optica, quæ multiplicior est, posterius differemus. Estisq; interdum ad minus amariores epulas revocandi. Ea autem est certa quædam observatio, qua ex iis, quæ corpori insunt signis, animorum etiam qualitates denotamus. Solent enim, ut in proverbio est, artificem instrumenta, dominum qualis sit domus ostẽdere. Id autem quoniam ἀντίστροφον est, commutationemq; patitur. Erit quidem Sculptori quàm maximè necessarium. Namque vel ex viventium corporibus effigies, imitabimur, quod à nobis in Calpurnio factum vidistis. Vel mortuorum præsentias ex notissimis eorum moribus imaginabimur, Vt si ex Zopyri quis judicatu Socratem effingat calvum, simum, ventrosum, & ejusmodi. Quemadmodum à Veronensibus in Catullo, Vitruvio, Marco, Celso, Plinioque, quos sibi cives vendicant, factitatum, ipsi nos nuper festivè spectavimus. Vix jam certe verbis explicari posset, quantum Statuario usum præstet Physiognomia, nec Statuariis modo, sed & omni generi humano. Miretur quidem suo jure Plinius severissimum, ut ipse ait, authorem Trogum cumque [Trogo miretur & Aristotelem. Ex quo illa ea transtulit. Supernat quantumliber vulgus, dum nobis in Socraticæ Pythagoricæque philosophiæ arcanis sanctissimè custodiatur. Hæc nos tu-

to huic depositum credere, Hæc nos illi fidere, conjugium facere pueros disciplinis tradere, cum honestis conversari, turpes atque obscœnos effugere, non temere societates & amicitias deligere, scelestorum improbitatem absq; ullo experimento devitare, Hæc eadem prudentes fortunatos, & quasi τροφήτας videri & esse nos facit. Apud Statuarios vero tanti erit, ut nobis illum ipsum qui tantopere desideratur Homerum. Ipsosque Græciæ sapientes Cleobulum, Periandrum, Solonem, Thalem, Chilonem, Pictacum, Biantem, atq; è nostris utrunque Catonem, ipsissimos præsentare faciliter possint. Dicerem equidem ex Aristotele atque Adamantio, nam Polemonis, qui de eadem re perscripsit omnia, desiderantur, nisi longioris esset instituti, videretq; uti in proverbio est, Minervas docere Verum enim vero quæ scire oportebit Sculptorem, hæc ferè sunt. Sed vultis quando hæc ipsa nuper à me scripta sunt, quemadmodum in Theæreto facit Euclides, de ἀναγνώσῃ audiamus? REG. Quam maximè tu interim resipisces. LEO. Nihil quidem fieri aptius poterit. POMPON. Heus tu puer, cape hunc libellum, ac lege. PVER. Naturæ morumque inspiciendorum ratio. POMPON. Non inde. PVER. Spectantur? POMPON. Istinc.

DE PHYSIOGNOMIA TRACTATVS.

SPectantur homines, ex natione patriaque, spectantur ex genere, spectantur ex se. Ex natione, ut num Maurus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis, de quopiam quæritur, quod potissimum solet ornatu significari, ut illud, Virginibus Tyrij, mos est gestare pharetram. Debemus enim, ut idem Poeta ait: Varium cœli perdiscere morem, ac patrios omnes cultus habitusque locorum. Et quid quæque ferat regio, & quid ferre recuset. Arcto quicunque subjacent, corpore sunt quàm cæteri prolixiores, colore albi, comas flavi, capillis mollioribus, glauci, simi, crassiores, carnosiores, ventrosi, ac corpulentiores, iracundi, simplices, levissimi consilii, animo præcipites, stolidi atque omnino disciplinis inhabiles. Galli videlicet Germanique. Con-

Contra qui sub meridie, nigris capillis crispisque nigris & oculis, corpore humiliores, cruribus grandiores, fusci atque aridiores, Disciplinis & ipsi parum apti, plurimæ tamen cogitationis, leves, dolosi, mendaces, lucribundi, furaces. At magis minusq; alii aliis. Quo distant acceduntq; ad arcton Borealem Australemque, magis minusque alteri alterius. Sardi, Siculi, Mauritani, Arabes. Horum vero medii, mediam quoque habent & qualitatem, Corpore sunt mediocres, capilli eis nec crispi nimis nec nimis porrecti, colore mellino, aspectu jucundiore, apti studiis, ingeniosi, misericordes, modesti ac graves, Itali videlicet Græcique. Sed qua proximiores illis accedunt loco, accedunt etiam & moribus, ut Libes, Hiberis: Hiberi, Celtis. Quin & Libes Æthiopibus, & Celtæ, Gallis similiores, Austrini quidem omnes sicco dominantur & calido, Arctoi contra, humido & frigido. Nam & cæterorum quique ad Occidentem, quique ad Orientem spectant, eadem erit de duobus polis ratio. Plerunque tamen evenit, ut alii alio transferant sedes, confundanturq; nationes, ut si Thraces commigrarint in Italiam, Itali in Thraciam, Persæ in Assyriam, Assyrii in Persiam. Ex genere autem inspiciuntur homines, non cum quibus quisque sit parentibus ortus, sed cum Mas sit quæritur, an Fœmina Ceneus. Plurima est horum dissimilitudo, illud nobile, justum, intrepidum, audax, æquabile, magnanimum, benignum, constans, animosum, probum, liberale, magnificum. Hoc vile, injurium, timidum, temerarium, intemperans, remissum, atrox, difficile, varium, ac mutabile semper, improbum, avarum, nequam. Fœmina omnis quam mas, est caput minor, corpore pressior, capillos habet molliores, nigriores que, vultum angustiorem, oculos vibrantiores splendidoresque, collum gracilius, pectora imbecilliora, latera molliora, ilia coxasque habitiores, suras carnosiores, genuaque ob eam ipsam rationem collabantia, extrema pedum manumque tumidiora, omnem corporis aspectum delicatiorem negligentioremq;, tactus est ei humidior, vox tenuior, gressus tardior ac densior, membra

bra succipleniora, motus lentior. Medium vero & quodammodo neutrum genus, lascivientis videlicet naturæ lusiones, hermaphroditi, virorum spadones, fœminarum eunuchi. Quos tamen nihilominus quàm castrati soleant equi, canes, taurive ad bellum utiles, docet Xenophontis Cyrus: ut utriusque sunt sexus participes, ita & utroque nequiores, malæ mentis, mali animi, pessimi & consilii, crudeles, duri, dolosi, callidi, malefici, At aliis alii magis minusve naturæ sexionisve culpa. Ex se vero spectantur hominis duplici ratione, ex iis quæ cohærent substantiæ, & ex iis quæ circumstant atque inducuntur. Cohærent substantiæ membrorum ac totius corporis habitus ex facie, ætate, incessu, voce, spiritu. Circumstant vero atq; inducuntur, ornatus, nomen, locus, tempus, & ejusmodi. Sunt & media vultus, & color, quæ omnia Aeneas in matre, Pyrgo in cœlesti Beroe, pernotarunt. Nunc age ipsam ex iis naturæ morumque inspectionem consideremus. Omnium quidem signorum præcipua, quæ in oculis aut plane iis proximiora, cujus generis sunt pupillæ, palpebræ, frons, genæ, supercilia, nasus, labra, os, mentum, malæ, capilli, aures, ipsum caput. Secundum ordinem tenent, brachia, manus, ilia, pedes, Postremum venter, tergum, fœmur, coxendices ac suræ, de quibus singulis quàm brevissime dicemus.

DE OCVLIS.

OCuli, hos natura tanquam conspecillares animorum nostrorum senestras esse voluit. Et quisquam deinde quæretur, non senestratum homini pectus? plurimam habent varietatem. Statu quidem, magni, mediocres, parvi, prominentes, conditi, tumentes, adæquati, concavi, mobiles, fixi, tremuli, rigidiores, conniventes, non conniventes, nictantes & non nictantes, Contuitu autem, vibrantes, languidi, humentes, sicci, splendescentes, tenebrosi, ridentes, mœsti, acuti, obtusi, graves, ludibundi,

di, truces, blandi, atque id genus cæteri. Colore vero, nigri, glauci, scilicet iidem ac cæsii, quique de iis fiunt, subnigri, qui ob gratiosam venustatem à Græcis χαραύποι, à nobis varii dicuntur. Et subglauci, qui ab illis αἰγαύποι, à nobis vero caprini nominantur. Item ruffi, flavi, fulvi, unde cognomina familiarum, pallidi, punicei, lutei, virides, rubicundi, ignei, flammei, sanguinei, crocei, ostrini, aurei, lactei, atque id genus reliqui. Harum autem omnium qualitates, quid ita significent, longioris esset instituti recensere, quid vero inter se mixtæ si fuerint, negocii quidem permaximi. Attingam tamen, potissimùm ea, quæ ad hanc ipsam rem magis pertinere videbuntur. Ac ne minutula forte fides habeatur, parum experto adolescenti, existimes velim, hujus rei authorem, non Pomponium, sed gravissimos olim philosophos Aristotelem atque Adamantium, quorum uterque rationem cur aut ita fiat adducere, cum vellet. Alter corpora animorum, vicissimque animos corporum affectiones sequi argumentatus est. Alter vero Prometheum, principi Limi, desectam undique particulam addere coactum, apposuisse nobis opinatur. vim leonis, astutiam vulpis, temeritatem apri, formidinem leporis, gravitatem bovis, falsum equi, scurrilitatem simiæ, fatuitatem pecudis, stoliditatem hirci, voracitatem suis, ductatū pardalis, ferociam tygridis, immanitatē ursorum, desperationem elephantorum, rapacitatem luporum. Similiter & cæterorum reptilium, volucrum, atque aquatilium naturam, magis minusve uti, & libido ferebat, & Limi natura patiebatur. Quem igitur, inquit, videris subnigros ac mediocriter concavos oculos habentem. Ex leone, qui talis est, animosum eum fortemque dijudicato. Quem conditos, Ex simia, simulatorem, fraudulentum, delusorem, malitiosum. Quem stabiles firmosque, Ex bove, gravem ac frugi. Quem protensos, ignavum, injurium, contumeliosum, ac vere ex Asello asinum Itaque rem ipsam nostro more summatim expediamus,

DE

DE OCVLIS.

OCuli magni, mobiles, lucidique, si torvum contueantur, simul & supercilia porrigantur, agrestioris, crudi, rapaciorisque animi hominem indicabunt. Tales enim sunt aprorum luporumque. Aristoteles quidem nec magnos nec parvos ait oportere esse oculos qui probentur. Prominentes oculi, qui sese extra mittant, quibusque in circuli species tumor circumducitur, aut contra, quos veluti castrorum fossa circumdederit, dolosum, stolidum, hominem ineptissimum significabunt. Qui si & mobiliores fuerint, voracem. Si petulci atque sanguinei, ebriosum. Si glauci, nec justitiam, nec consuetudinem hominis ullam. Si vero & supercilia gravarint, certior erit ejus amentia. Si tumentiores parvique, parricidium ac veneficium declarabitur. Quibuscunque vero fuerint prominentiores, splendidi, grandiores, purum, humidumque intuentes, insigni omnes justitia & consuetudine præditi, disciplinis aptissimi, deamorosissimi, qualem ex Theæteto didicimus fuisse Socratem. Conditi nimis, quanquam acutissimi omnium intuendo, nisi fuerint & magni, nullo pacto probantur. Horum namque parvitas, dissimulatorem, invidum, insidiatorem. Siccitas ad illa perfidiam, humiditas & amentiam augent. Laudatur vero status oculorum medius inter prominentem & conditum. Et qui nec tumidiores sint, nec concavi, sed mediocritatem quandam magnitudinis habeant castigatam. Mobiles oculi, turbatorem, suspiciosum, interpellatorem, infidum, ac curiosum, magis perficacem ostendunt. Si & palpebræ moveant, certe animam præpotentem. Si minus, audacem, Ocyus circumvolubiles oculi, ganeonem. Tardioris motus, pigrum, inertemque denotabunt. Tremuli oculi, si in dextram ierint, socordiam, insanitatem: Si in sinistram, adulterium: Si vero introrsum, quasi naso annuerint, gratiosum, Venereum, & amorosum declarabunt. Rigidiores nunquam boni: Nam si fuerint humidi, formidolosum: Si aridiores, vesanum: Si pallidiores, stolidum judicabunt. Si vero grandiores

diores fuerint ac subrubicundi, impotentis erunt & libidinis, & gulæ testimonium. Quod si quem videris, qui splendescentes hujusmodi oculos habeat, hunc tu ad cor, vos, ut nec tibi civem nec vicinum esse audias, ut qui malis tantum & calamitatibus gaudeat alienis. Oculi qui cum se claudunt, sursum attolluntur, libidinositatis, gulositatis, ac sacri morbi certissimum signum. Quod si & pallidi fuerint, impios atque homicidas. Si subrubescentes nigrantesve, intemperatissimi oris mulierosos, stolidos, aleatores demonstrabunt. Contra qui feruntur deorsum, contraria iis esse omnia. Oculi qui cum sese aperuerint perstant vel cogitationem, vel certe alicujus rei pœnitentiam significabunt, quæ res scilicet ex superiorum omnium ratione captabitur, si magni, prominentes, conditi, mobiles, & ejusmodi. Vibrantes parvique oculi, dolosum adulterionem. Magni verò, inceptum rudem, gulosumque arguent. Quod si grandiusculi, splendidique humidius contueantur ingentem commonstrabunt spiritum. Excelsam ac maximorum operum effectricem animam, iracundos, tamen, ebriacosos, ac supra hominem gloriabundos, qualem fuisse ajunt Alexandrum Macedonem. Tenebricosi oculi, manifestum quidem iis inest incommodum, Si tamen sicciores fuerint, infidum. Si & minuti, bilinguem, dolosum insidiatorem. Et cui gravissimas inimicitias profitetur Achilles, aliud pectore occultantem, aliud de ore promentem, animi multiplicis, pessimique. Si verò quales puerorum videri solent, humidi, grandiores, animosum, constantem, studiosum, prudentem, disciplinis habilem, timidum: ac prope avarum. Prælucidi autem modo contradixerit aliud nihil, optimi. Splendescentes oculi, tametsi utiles, non tamen certæ sunt probitatis indices. Idem enim glauci sanguineive, calliditatē arguunt, ac jam vesaniæ proximiorem audaciam. Subnigri, timorē, formidinem, suspiciones. Nigri vero & adulterium. Qui si torvum contueantur, difficilitatis molestiæ, ac rigorositatis indicium. Si & humidum fortitudinis, imprudentiæ, celeritatis, iracundiæ, fecordiæ, invenustatis

statis. Si & siccum nequicioſiſſimæ ſceleroſitatis. Oculi in quibus voluptas quædam ac riſus, ut ita dicam, inhabitant, diſſimulatores. Iidem verò conditi, inſidiatores. Sicci, aut quibus exteriora palpebræ ſupercilia, genæ, ac labra non ſteterint, reprobiſſimos indicabunt. Humidi verò, non malos quidem, ſed tamen vanos, rudes, omnique animorum commotione carentes, pigros, intemperantesque. At ſi horum inanes palpebræ non connictarint, fueritque frons læta, & utrinque ſimul vacua ſupercilia, hominem eum ſignificabunt, magnificum, juſtum, ſuavem, pium facilem, hoſpitalem, atque optimæ conſultationis. Triſtes vero humidique ſtudioſum, plurimarumque artium ſectatorem. Nam ſi & ſuperciliis obtegantur, affueritque læta frons, æquapilem, fidum, frugi, prudentemque monſtrabunt. Sicci vero ſi & vultus fuerit trucior. Item ſi frons aſpera, aſpectus immobilior, palpebræque rectè, ruſticaniſſimas voluntates, improbiſſimas & cogitationes, nec ullum unquam iis eſſe intentatum imperfectumque facinus. Acuti oculi tumultuatorum hominum ſunt atque rapacium. Oculi qui frequentius connivent, id autem eſt, cum immoto capite huc illud obliquantur, quod pro dubitare uſurparunt, formidoloſitatem coarguent. Si cum ſiccitate, fraudem, inſidias, occultumque aliquod malum. Si cum tremorem palleant, quopiã avertantur, fatuitatem. At vero quei contra non conniverint robuſtiores invictique. Quod ſi & gravedinoſum intueantur, nihil unquam boni eſt id, quod parant. Si lene atque humidum, ſtudioſos, faciles, amoroſos. Si palleſcentes, puniceive ſiccum, improbiſſimarum rerum memoriam, iracundiam, invidentiam, aut quamvis aliam extremam maliciam denotabunt. Et ſi circumvolvuntur, amentiam. Oculi quibuscunque pernictant, inſidiatores, furaces. Si vero humidum, multarum artium ſtudioſos. Sin contremuerint palleſcantve, famelicos, & qui ad epilepſiam declinarint. Quibuscunque vero non pernictarint, ſed ſi cum clauduntur defluant, verecundos. Si & mox attollantur, adulteros, voraces. Sin recti permanſerint, benignos, bonos viros. Sin & ſicci, temerarios indicabunt. Quod ſi ad hæc frontem quis habuerit aſperiorem, ſupercilia cõſtrata, palpebrasque duriores, agreſtiore animo, paratus audendum omnia, quique laudibus & honoribus & donis facillimè capiatur. Horum autem omnium mediocris ſtatus præcipuè laudatur.

DE PVPILLIS OCVLORVM ET CENCHRIS.

OCulorum acies, quas & pupillas vocant, parvæ quibus fuerint, praviſſimæ cogitationis eos eſſe neceſſe eſt, item & avaros ac puſilli animi, Serpentes enim Ichneumones, ſimiæ vulpesque hujusmodi. Contra quibus magnæ, placidiſſimæ mentis, liberales, magnanimos, forteis. ovium enim ac boum tales. Quibus ſecundum rationem oculorum decentes fuerint, probi. Quibus contrã, nefarii, impudentes, ſceleroſi. Quibus inæquales, non prorſus mali. Sunt autem interdum in oculis calculi quidam, quos Græci Cenchros vocant, ad ſimilitudinem Milii, candidiores, fulvi, pallidi, ſanguinei, quique admixtum habent pallidum fulvo & iis nigrum, In charopis oculis Cenchri qualescumque agreſticitatis, injuriæq; nota. In nigris ſanguinei veneficiorũ, Pallentes, etiam magicorũ carminum.

DE PALPEBRIS ET SVPERCILIIS.

QVi rectas palpebras flexaque ſupercilia non habuerint, ſed cum tremore ſubmoveant aſpectum, hi ſemiviri cum ſint, viri tamen eſſe coguntur. Quibus innuendo protenduntur palpebræ, fœminati. Qui alteram palpebrarum emittunt, & dum quopiam averterint, humidum ac molle reſpiciunt, delicioſi, qui plurimum formæ fidant ac mœchi. Veſiculæ autem illæ, quæ ſolent eſſe infra oculos, ebrioſorum. Quæ ſupra, ſomniculoſorum. Ambæ vero utrorumque. Anguli oculorum à temporibus parvi, reprobos. A naribus cernoſi, reprobiſſimos denotant. Supercilia qui attollunt cum ſpiritu crudæ ſunt mentis, pravique conſilii homines, vani, obloquentes, iracundi, ſeditioſi. Recta ſupercilia, mollem: Iuxta naſum flexa, rigidum: Iuxta tempora, deriſorem: Contracta invidum: Demiſſa malevolum indicabunt.

DE OCVLORVM COLORIBVS.

QVi glaucos oculos, minimasque acies habuerint, illiberales, avari, callidi. Qui eosdem aridos, incertis erunt moribus, agrestes. Qui humidos, dat enim hos Palladi Homerus, splendescentes decenterque magnos, optimi atque animosi. Subpurpurei quibus fuerint oculi cum siccitate, iracundos. Cum humiditate, ebriacosos si dixeris, nihil aberrabis. Subalbidiores paucamque glaucitatem habentes, timiditatis atque impotentiæ signum. Cerulei, quia cæteris humidiores, propterea & meliores. Verum de oculis suprà quàm constitueram satis, nunc & reliqua prosequamur.

DE NASO.

NAsi summum gracile si fuerit, facilem iracundiam. Crassum verum depressumque, consceleratos mores denunciat. Plenum solidum, obtusumque si videris, ex leonibus, mollossiisq; fortem ac jactabundum dijudicato. Nasus oblongus, gracilis, rostratusque ejus quoque generis mores dabit. Nasus adclinans, vitæ morumque honestatis signum. Nasus rectus linguæ significat intemperantiam. Acutus, iracundiam, Obtusus, molliciem. Aduncus qui & aquilinus, regalem animum, ac magnificentiam. Simus, immodestiam, scortationem. Minor, fraudem, rapacitatem. Adapertus, animi vim roburque corporis. Angustus rotundior obstructusque, solitarem, secordiam, vesanitatem. Obliquus intortusque, mentis & animorum obliquitatem.

DE FRONTE.

FRons angusta, ruditatis. Plana, secordiæ, Magna, segniciei. Parva, mobilitatis stygmate insta. Frons autem longa, docilitatem, atque optimos sensus ostendit. Depressa atque humilis, fœminatum. Rotunda, iracundum. Gibbosa, insensatum. Circumducta, impudentem. aspera; quæ quasi fossas habeat, infidum, callidum, & si cætera abfuerint, stolidum. Quadrata, quæ scilicet suæ magnitudinis mensionem habuerit, evidentissima prudentiæ, fortitudinis, intellectus, magnificentiæque index. Frons alta jectaque, contumaciam. Distenta, securitatem. Rugosa, studium ac sollicitudinem ostendet.

DE GENIS ET MALIS.

GEnæ malæque quibus carnosæ, segneis atque ebriacosos indicant. Graciliores, improbitatis. Pinguidiores, calliditatis. Crassæ & ab oculis demissiores, invidentiæ signum. Rotundæ dolosorum. Prælargæ, vaniloquentiorum.

DE ORE ET LABRIS.

OS neque firmum, neque protervum, audaciæ, nugacitatis, dementiæ nota. Os parvum prominensque, insidiarum, reprobitatis. Concavum ac fornicatum, ut si infremeret, invidentiæ, sceleritatis. Humile ac depressum, formidinis & consiliorum instabilitatis. Oris autem sectio, vesanum, crudum manduconem. Vastitas caninam denotabit exuricionem. Os parvum fœminas, majus viros decet. Labra in ore majori tenuia, ut inferioribus adjiciantur superiora, magnanimitatem significabunt ac leoninam fortitudinem. In minori vero, ignaviam, inhumanitatem, molestiam, impietatem, perfidiam. Quibus supra caninos attolluntur ex rictu labra, pessimorum morum, adclamatores, in injurii conviciatores mordaces. Quibus totum os protenditur, labraq; sunt de Chilonum Labeonumque cognomina, & moribus & operibus sunt suini. Quibus inferiori labro, superius labrum super adjicitur, prudentiores. Quibus contra labro labium prominebit magis, non prorsus mali, quanquam vani & stolidiores.

DE MENTO.

MEntum quibuscunque longius non omnino reprobi, nisi quod præter modum loquaciores ac molliusculi. Quibuscunque brevius, pessimi, crudeles, diti, atque insidiatores. Ex serpentibus qui tales sunt. Quibus acutum, bonam habent hi omnes mentem. Quibus rotundiorem figuram circumscripserit, effœminati. Qui-

bus quadratam, utiles. Quibus summo in loco tanquam in duos vertices dissiluerit, modo scissura sit apparens, dolosi. Nam si levis, Venerei potius gratiosique judicabuntur.

DE CAPITE ET CAPILLIS.

CAput valde parvum quisquis habuerit, is ab omni erit sensu humanoque captu alienior. Qui modicum, fortis, probe sensatus, magnanimusque. Qui permagnum, imbecillus, illiberalis, nullius aut certe rudissimi perceptus. Qui obliquum, inverecundior. Qui altum, contumacior. Qui utrinque connexum, iracundior. Pars capitis posterior depressa atque humilis, formidolosi, ac prorsus animo toto carentis. Caput volunt id sensibus cæterisque rebus videri perfectum, quod mediocre fuerit, quod rectum, quod & intra mensum constiterit, ac ξ Græcæ literæ figuram habuerit. Capillos autem nihil ad hanc rationem conferre vult Adamantius. Sunt verò multiformes porrecti, crispi, leves, intorti, molles, duri, densi, rariores, nigri, albi, glauci, rubei, ruffi, flavi, & ejusmodi, Aristoteles tamen molliores capillos, facilioris vult esse ingenii signum, duros agrestioris.

DE AVRIBVS.

AVrium multa varietas, quædam sunt tenues, quædam crassæ, aliæ magnæ, aliæ parvæ, extantes, pressæ, atque earum mediæ. Item quadratæ, rotundæ, immobiles, & unde flaccorum cognomina, languentes ac deciduæ. Tenues igitur minores ac veluti circumcisæ, fatuum denotabunt, callidum, malicioſum. Crassæ magnæque, surdastrum. Extantes præsentaneam hominis docilitatem, mansuetudinem, benignitatem. Pressæ, insciti am, ruditatem: Quadratæ vero ac mediocriter magnæ in audiendo argutissimum.

DE FACIE AC VVLTV.

FAcies quibus est, Aristoteles inquit, magna, rudiores. Quibus parva, immoti. Quibus larga, stupidi. Quibus circumlata, animosi. Carnosa, inquit Adamantius, facies, delicioſi est hominis, lauti ac pubes-

pubescentis. Macra, studioſi, deamatoris, insidiatoris. Parva facies, parvos quoque redarguit mores. Permagna verò stolidiores. Iam verò ipse index obtectorque conscientiæ nostræ, vultus quàm incertus, inconstans, varius, quia totus videlicet ex animorum perturbationibus confingitur. Quin etiam interdum earum simulator ac dissimulator. Quare haud temere ex eo omnibus horis dijudicandum, nisi cum ab ejusmodi motionibus animi deferbuisse videbuntur. Mille sunt ejus varietates, mœstus, jucundus, facilis, severus, alacer, tristis, clarus, tenebrosus, nubilus, doloroſus, pervigil, somniculoſus, securus, audax, meticuloſus, & ejusmodi, quorum & animi tales. Alacer autem clarusque vultus, certissimus index adulterii. Erubescens hinc illud, salva res est, pudoris, verecundiæ. Vultum qui perexprimere potuerit, is se sciat non multum jam abesse à Lisyppo. Nunc vero deinceps & reliqua.

DE COLLO.

COllum quicunque habuerint oblongius, graciliusque, timidiores sunt, atque egregiè malorum morum. Qui pinguidius prolixiusque, animoſiores, jactabundi, contumaces. Qui & compactius, robuſti, fortes atque ad disciplinas idonei. Nam qui contra inanius habuerint, vafri, adulterive. Collum quod nervis obtenditur, sinistri adsint & cætera fatui, inque dementiam delabantis. Collum præpinguius, iracundi, ad disciplinas inhabile suini. Collum brevius præmultumque audacis. Collum densius, nullam in partem cadens, sinistri, contumacis, inepti. Collum effractum, semiviri. Collum in dextram adclinans, ornati, prudentis, studioſique. In sinistram adulteri, ac nullius prudentiæ. In utramque verò aut in quamvis aliam, praviſſimi animi ac mentis indicium. In nullam verò, moderationis, plurimæque & artis & exercitationis. Collum quibus longum, iisdem erunt etiam crura longa.

DE CERVICE ET GVTTVRE.

CErvix quibuscunque aspera atque obliqua fuerit, ineptissimi. Quibus quæ sub ea sunt spondiles asperæ,

collumque prominentius sese humeris super effuderit, injurij, præduræ mentis, ad disciplinas tanquam ad Musicen asinus apti. Guttur asperum, levitatem arguit, protervitatem linguæ atque arrogantiam. Quod si & spondilibus hæserit, solam ex iis levitatem, item hominem ebriosum, querulum, tristem, iracundum, cœnipetam, alioqui semper altiora cogitantem.

DE CLIDIBVS, PECTORE ET MAMILLIS.

CLeides, sic enim à Græcis vocantur, hi qui è summo pectore in imam gulam exeunt vertices, à clavium effectu simili. Obstructæ, nullam vim aut sensus aut actionis ostendunt. Apertæ, molliorem fœminatumque. Mediocres verò, quæ ad nasi longitudinem dimensu inter se distarint, insignem hominis & prudentiam & virilitatem. Quibuscunque ab umbilico ad cleidas, major commensus quã sit circumlatio colli, hoc est, plus duabus faciebus, gulosi, exuriones. Pectus magnum ac dearticulatum significat robustitatem; gracile atque imbecillum, animi pusillitatem. Carnosum verò, affectus dexteritatisque carentiam. Mamillæ quibus in obeso pectore dependent, scortatores, ebriosi, & ganeones indicabuntur. Nunc postremum ad reliqua.

DE HVMERIS, SCAPVLIS, LVMBO, ET TERGO.

PIngues humeri, nullo modo probantur. Robusti, robustos & mores significant. Vacui fœminatorum sunt ac timidorum. Graciles erectique, pessimorum. Inarticulati efformesq; stolidorum. Scapula quibus est robusta, robusti & ipsi. Quibus imbecilla & gracilis, timidi ac pusillanimes. Carnosa, sensuum indicate gestatem. Angusta etiã fatuitatem. Latior, mentis altitudinem. Rotundior, industriam, sagacitatem. Gibbosa curvaq; scapula: humeriq; in pectus effracti, invidentiam, pravitatem. Lumbus osseus, fortem significat, & virilem. Carnosus mollisq; mollem & effœminatum. Acutus verò intemperantem ac timidum. Tergum latum, ac solidum animositatis generositatisque signum. Angustum contrà & solutum, timiditatis, & illiberalitatis. Incurvus autem homo, nequaquam unquam bonus,

bonus, nisi membra humidiora cæteraq; urbana affuerint signa. Sic tu eum succinctum ac venatorium judicabis.

DE VLNIS BRACHIISQVE.

VLnæ si ita fuerint prolixiores, ut demissæ manus ad medias infra coxendices pervenerint, fortitudinis ac felicitatis signum. Breviores verò, quorum capita cibo occurrunt, malevolentiæ, invidentiæque. Exiles, hominem effœminatum. Carnosiores verò disciplinis sensibusq; carentium. Vlnas, brachia cubitosque ipsos bene articulatos esse oportet, quos probari voluerimus.

DE MANIBVS, DIGITIS, VNGVIBVSQVE.

MAnus teneræ mollioresque, optimi dicuntur esse ingenij argumentum. Duræ magnæque, fortem illum quidem significabunt, haud satis tamen disciplinis idoneum. Parvæ manus, callidum. Perbreves ac mutilatæ, fatuum. Quæ si & pingues, nequissimum. Angustæ gracilesque manus, rapacitatis. Pleniores quæ oblongos habeant digitos, furacitatis. Graciles tortuosæque, nugacitatis voracitatisque indicium. Digitos quicunque habuerint compactos, nunquam boni. Qui constratos disjunctosque, callidi, avari, ac perdidissimorum morum. Qui parvos gracilesque, pauciissimi intellectus. Qui præmutilos crassosque, audaces, ferini. Qui oblongos gracilesque, minimæ rudiorisque mentis. Digiti qui commensu constiterint suo, omnium optimi. Vngues lati colore albo sufflavoque, naturæ bonitatem. Angusti prolixiores, curvique item & carnosi, improvidum, male sensatum. Obliqui, inverecundum ac rapacem commonstrabunt. Parvi, pallidi, nigri, asperique ungues, & qui carni hæserint, calliditatis. Rotundiores libidinositatis indicium. Vnguium illuciditas nequaquam est hominis frugi. Ipsi tamen per se ungues infirmam habebunt rationem.

DE LATERIBVS, ILIBVS ET VENTRE.

LAtera graciliora, formidinem, debilitatem. Dura atque carnosa, indocibilitatem. Circumlata atque in speciem tumoris plena, nugacitatem nequitiamque redarguent. Ilia præpinguiora mulierum, osea virorum. Gracilia, densa, sordida, & tanquam eliquata, calidissimorum hominum, venter vacuus, & sanitatem & magnanimitatem ostendit. Macerrimus ac præter modum inanis, timiditatem, nequitiam, exuritionem. Carnosus si & mollis fuerit, prudensque sensuum hebetudinem, intemperantiam, ebriositatem. Si durus cervicique compactus calliditatem.

DE COXIS ET CRVRIBVS.

QVibus articulatæ solidæque fuerint coxendices & crura, egregiam naturæ aptitudinem præstabunt & generositatem. Quibus contra inarticulatæ ac molles, timidam imbecillitatem. Quibus prægraciles, improbitatem: quæ si etiam nervosæ, præter illa immodestissimam procacitatem. Crura vero ipsa suris prægnantia, intemperantes, inverecundos, & abominabiles indicabunt. Genua quibuscunque tanquam collabantia, mulierosi fœminatique.

DE PEDIBVS AC TALIS.

PEdes nervosi, articulati, & generis & morum nobilitatis vestigia imprimunt. Teneri & quales Telemacho dat Homerus humiduli, molliorem significant. Præmutili ac pingues, ferinos arguent mores. Oblongi, plurimæ cogitationis signum. Parvi, calliditatis. Magni, mœchanicitatis. Qui adæquatas habuerint plantas, aut contra nimium connexas. Item, qui quasi tales incedunt, improbi, astuti, callidique. Tali autem discreti, nobilem. Molles levesque effœminatum. Graciliores, timidum, intemperantemque demonstrant. Calcaneorum crassitudo plurimæ servilitatis atque indocibilitatis indicium. Præpingues talos, asperiora calcanea, carnosos pedes, digitosque horum incurvos, & suras prægnantes qui habuerint, omnes, patrio vocabulo utar, Caraces. Sic enim pueri appellare solebamus facuæ mentis hominem, furiosum. De

DE COLORE.

NVnc demum pauca quædam & de colore dicamus. Nã nomen ipsum & facta, basis explicabit. Nulli unquam artifices, vocem dabunt, incessum, vultum, spiritum, ætatẽ, ornatum. Statuæ cum fiunt, ipsæ præstabunt. Quibus igitur niger est color, adulteri, timidique, Albicans color, pigrum, intemperantem, fœminatum, incontinentem. Fulvus, dolosum ac multiformem. Subviridis, quem objiciens Pisoni Cicero, servilem vocavit, nisi ex aliqua ægrotatione is fuerit pravum, timidum. Luteus, avarum, invidum. Mellinus, iracundum, epulonem, nugigerulum, dicacem, meticulosum. Flammeus in leviter subrubescente corpore si perdurarit, naturæ bonitatem, aptitudinem, in disciplinis capessendis promptitudinem & egregiam animorum nobilitatem significabit. Albus sufflavusque, & animi & corporis vim promittet. Atque hæc generaliter. Pectus verò subrubicundum, excandescentem iram denunciat. Idemque erit, si quæ circa ventrem, quæque in temporibus insunt venulæ, paulo apparentiores fuerint. Vultus ipse perrubicundus, verecundiam ostendit. Nam si genæ tantum erubuerint, vinositatem. De coloribus autem oculorum, quia junctim dicendum de iis fuit, satis quidem, ut arbitror, est supradictum.

Hæc sunt, tum ego inquam, quæ Physiognomonica nuper nostro more interpretati sumus. Si quæ displicuerint, monebitis. Nam ad Pistorienſem nostrum cogitamus dare, voloque ei hæc probatum iri quàm maximè. Sed nunquid rogo sentitis, quantum hæc Statuario intellecta conducant, quantumque sint ut intelligantur necessaria, an aut Deum aut hominum quenquam quis ponet, cui prius hæc cognita non fuerint? Miseret me fateor istorum Deorum, atque inprimis Nazerini nostri Dierecti. Nam quis erit unquam vir bonus, cui quidem honoris quàm vitæ sit ratio potior, qui non & alterum atque alterum malit Gaballum, quam se isto modo spectari, dissimulatorem, impudicum, furem, perperum, appetonem, tenebrionem. & ejusmodi? Verum & id quidem

dem nimis, nunc ad Perspectivam rationem pertranseamus, quæ etsi fermè tota pictorum esse videatur, ad sculptorium quoque munus transfertur quàm commodissimè. Ea verò duplex, Altera, ad φυσιολογίαν, altera vero ad γεωφικὴν pertinebit. Priore quidem illa rationes traduntur, cur inconspicuis ita perspectus afficiantur, ac quemadmodum triplex illa speciendi ratio fiat, ex directo, ex reflexione, ac refractione radiorum. Quæ quoniam plurimos nacta est, & Græcos & Latinos scriptores, estque aliquanto ab hac nostra remotior, non est mihi propositum eam vos edocere, qui alios soletis. Posterior autem hæc nostra duplex, namque vel ad totum opus vel ad singulas pertinebit partes. Quæ ad totum opus pertinet, prior, ac visu primum dijudicatur. Quæ verò ad partes, eas sibi res tantummodo considerandas proponit, quæ perspectioni occurrent. Prioris autem hujus quæ sese latius effundit ratiocinatio, sumetur sic. Omne corpus quocunque statu constiterit, in aliquo quidem necesse est esse loco. Hoc cum ita sit, quod prius erat, prius quoquoque & hic nobis considerandum. Atqui locus prior sit necesse est quàm corpus locatum. Locus igitur primò designabitur, id quod Planum vocant. Facies autem quàm directissimum sit. Ad perpendiculum mediam lineam demittito. Hinc inde semicirculos circumducito, per eorum intersectiones lineam ipsam æquoream trahito. Ne quis verò fiat in collocandis deinde personis error, fieri oportere demonstrant hoc modo. Esto jam in hac quadrata, nam ejusmodi potissimum utimur, tabula hæc inquiunt linea. At quantum ab hac, plani definitrix distare debebit? Aut ubi corpora collocabimus? Qui prospicit, nisi jam in pedes despexerit, prospiciet à pedibus, unica sui ad minimum dimensione. Ducatur itaque quod voluerit pedum linea hæc. Mox deinde hic longius, attollatur alia in humanam staturam sic. ex hujus autem ipsius vertice ducatur ad extremum æquoreæ linea, sic. Itidem ad omnium harum portionum angulos, sic. Vbi igitur à media æquorea perpendicularis hæc

hæc, eum ea quæ ab vertice ad extremum ducta fuerat, se conjunxerit, plani finitricis lineæ terminus hic esto, quod si ab æquorea ad hanc finitricem, ab laterali ad lateralem, absque ipsarum angulis ad angulos, plurimas hoc modo perduxeris lineas, descriptum etiam collocandis personis locum habebis, nam & cohærere & distare uti oportuerit his ipsis debebunt intervallis. Atque ad hunc modum differuerint. Nos nostro more forsitan distinctius, Sculptoriæ Perspectivæ pars, quam ad totum opus pertinere diximus, triplex. Nam triplex omnino speciendi legitimus ordo. In rectum, cum videlicet intra extremas hasce verticis ac pedum lineas visus dirigitur, cujus ratio proprie, uti arbitror ἔπιτη nominata. In sursum, quod ad usque medium horizonta supra caput attolliturs, quæ ἀνωπτικὴ dicta. Et deorsum cum infra pedes tantundem demittitur, quæ καθοπτικὴ nuncupata, in quibus omnibus quid oporteat diligenter considerandum. Ille etenim perspectus, qui fit in rectum, non nisi ad priores pervenire poterit personas, aut per intervalla earum ad secundas, atque interdum etiam ad tertias. Quoniam verò hoc ipso perspectu quæ primo sese offerunt res, paulo plus quam ex dimidio prospectantibus occurrunt, itidem & istic in tabula extare primo loco debebunt, sic contractius secundæ hoc celsiore, propter rationem distantiæ in plano, Sic. Contractius vero & tertiæ, vix summam hinc superficiem mittent, quod ipsum in vetustissimis plerisque monimentis observatum animadvertimus. Ea namque oculorum lex est. Priora sese magis ostentent, longinquiora compressius videantur, Si igitur distarint hinc personæ, ab his qui in prima hic constiterint acie, prominebit exterius planum, Sic. Sin cohærebunt hic à tergo posterioris nihil id ita oportebit. Cum verò suspicitur, atque in alto aliquid loco significare voluerimus, verbi gratia hominem hunc in summa specula, Nautam hic in summa turre mali, aut Dædalum etiam si libuerit cum Icaro volantem, considerandum qua distantia, quave id altitudine ab hoc ipso suspectionis centro fuerit, & quantum illinc radiorum

rum unumquodque suscipiat. Nam hic propius, istic remotius, hoc majus, illud minus esse conveniet hoc pacto Sed quid hoc est Leonice, aciem nostram, cum attollitur, superas etiam domos Deorum scandere, cum dirigitur 40. milia pass. ulterius non progredi, sed in convexum terminari. cum vero demittitur, inferius pedes non transire, & tamen quæ sub pedibus sunt, non terrena semper spectare? in quamcumque vero deferatur partem centesimo passu hebetari? Ascendimus enim Cremonensem & nos turrim, eo cum accessissem nuper ad Grammaticos salutandos, Lugarium, cujus cum gnato mihi familiaritas, & Cajetanum vestrum, ut narrare solebat in Græcis literis condiscipulum, neque vero putetis ulla me re in tota illa provincia delectatum magis quàm consuetudine, quorum est feracissima Grammaticorum, quàm multos Brixiæ, Bergomi? Taberium Britannicum, hospitem in primis meum Clementem, qui claras facit suas videri, minutulas quasdam ubi Grammaticam doceatur Athenas. Quid vero me Grammaticis non delectari Grammatico patre natum? sed etiam ad propositum. Sin itaque despicietur, quando is est frequentior multoque difficilior prospectus majorem & curam diligentiam adhibendum nobis erit. Tunc enim despiciendi hæc ratio tractabitur, quoties plurimam rem aliquam ostenderimus, veluti magno in populo cum sæpe cohorta est seditio, pugnas, prælia, urbes, & ejusmodi, quod ipsum fieri aliter non potest quàm despectu. Etenim in omni re tumultuosa spectaturi, semper altum conscendimus, Quare quoties multiplicem voluerimus rem ullam talem prospectantium oculis subjicere, ad hanc ipsam despiciendi rationem decurretur. Ac quæ primo in quam velis partem se offerunt, proximiore hic loco statuemus. Quæ deinde intermedio hic conspectiore, Quæ postremo hic celsiore, eum in modum, ut spaciis quæque suis interdistincta, suo sic ordine dignoscantur, cujusmodi intelligitur illud, Videt Iliacas exorbem, Atque ille uterque Vulcanius clypeus. Constat enim tota

tota hæc in universum Perspectiva, dispositione, ut intelligamus quacunque ratione spectetur, quantum ab alio aliud distare aut cohærere debeat, quot necessariæ sint ad illam rem significandam personæ, ne aut numero confundantur, aut raritate deficiat intellectio. Dicerem equidem de hoc ipso genere toto singulatim plura, nisi prudens artifex, quæ dici possent, ex supradictis facilime cuncta deprehenderet. Intelligendum est autem in recto perspectu, tabulam ipsam pro pariete, in sursum pro æthere, in deorsum pro terra accipi oportere, Quanquam inter se una semper egeat alterius, ex qua re sola Perspectivæ rationis hujus lex tota dignosci poterat, Igitur animadvertite, libet unico vobis exemplo rem omnem significare: Esto hic sagulatus Hannibal, hic purpurati Romanorum duces, Paulus & Varro, hic Romana manus, hic Chartaginensis, hac fluvius, hic & cædes. Dirigatur age nunc æquor in rectam oculorum aciem, Sic: certè non videtur: deprimatur hæc pars anterior, jam melius. Age adhuc, etiam melius. Age adhuc in perpendiculum apertius, ita semper oculus rem sibi subjectam quærit. Esto rursus hoc pulpitum cubitis age altum tribus, si res quæ in eo fient, videri debebunt, certè aut iis qui posterius sunt, ascendendum erit, aut certè quasi hic liber cum legimus attollendum pulpitum, ita nunquam & hic erit à natura recedendum. Hanc verò triplicem speciendi rationem à pictore quisquis ille fuerit, animadvertimus perbelle semel adservatam. Ita enim is Danaem composuerat, ut si prospiceres avaram ipsam puellam, stupescentem videres, Sin suspiceres, Iovem jamjam è nubibus descensurum impluvio putares. Sin verò despiceres, proximas regiones aurea conspersas grandine mirarere. Sed de universali Perspectiva hæc satis. Altera verò Perspectivæ pars quæ singulas considerat rerum partitiones, est quidem illa vulgaris, Pictorumque pueris usitatissima, Sic tamen ut summam assecutus videri possit, quisquis eam recte retinuerit. Est autem nihil aliud hæc perspectiva, nisi quædam in reddendis rerum omnium utcunque partium simi-

similitudinibus versatur, quæ non ita sunt, ita tamen videri faciat. Id verò ex merita potissimum longitudinis mensione, sive hominum, sive ædificiorum aut cujusvis alterius alicujus corporis, cum ab sua rectitudine prospectari desierit, sive rotundam, sive triangularem, quadrangularemve, aut quamvis aliam lateralem habuerit formam. Nam continuò ad concisionum, quas decurtationes vocant, difficillimas rationes deveniendum, nostra tamen quantum fieri poterit demonstratione facillimas. Rotundas igitur omnes rerum omnium formas concisione præstabimus, Sic. Esto hic circulus, hæc rota, hoc age potius speculum. Efficiatur primum ex eo quadrangulus, Sic. Mox undique de lateribus, & de angulis ducantur quæ intersecentur in centro lineæ, sic. Deinde productis ab hoc uno latere duabus his lineis, eodem spacio circuli fiat hic triangulus, quo ex dimidia parte dissecto, totidem rursus ducantur & hîc, quot in priore circulo lineæ, simili ratione. Qua igitur hic intersecantur, centrum erit hujus alterius, hoc pacto. Esto præterea, si voluerimus idem in latus spectari, sic: Ducantur de iisdem ambobus lateribus, diametri spacio, in directum lineæ, nam hic tanquam compressura cogetur, hoc modo. Similique etiam ratione ducantur per latera, perque angulos lineæ, quo quidem spacio videbitur angustari totum, sic, centro adhuc in intersectione servato. Triangulares autem, quadrangulares, lateralesque omnes, nam una fermè omnium ratio, diversiores in hunc fient modum. Esto hic liber, Homerus est, nostræ deliciæ, quem nunquam temerè à me longius abesse patior. Esto uti apparet in pluteo rectus, recta enim primo esse omnia oportebit, quæcunque in aliam erunt status rationem transitura, Sic. Ducantur de omnibus quatuor angulis in longum paralleli lineæ, paulo & sursius & deorsius, ut libuerit, age sic. Singuli autem & hic anguli sui contineantur lineis, sic. Videtis ut jam resupinarit, Spectetur idem & à tergo in hunc modum. Altitudo

do hæc, ipsaque latitudo, non enim dum sic apparuerint, quicquam de iis comminuitur, erit hujusmodi, æquabilis autem hæc superior paginarum planicies, productis paululum ab latitudine lineis in sursum, Sic. Item & hæc inferior ad eandem rationem status, Sic. Nonne præsentata vobis species videtur? Quin & apertius ut hinc sit Ilias, illinc Odyssea, Sic. Ducantur de singulis angulis in longum, eodem ut diximus paralleli modo, Sic. Suis mox unusquisque descriptus finiatur lineis sic quam prope eadem oculis, in hanc alteram commutata nunc est forma illa prior. Sed jam altero contenti exemplo erimus. Esto hic M. T. Ciceronis, vel C. Cæsaris facies ad perpendiculum discriminatrice linea nullam declinans in partem, sed porrectissimo contuitu perspiciens in hanc M. Antonii vel M. Catonis, hoc modo, ut reliquum jam corpus, cujus hæc eadem est ratio, dimissum fecerimus. Punctus autem quo terminatur frons, Aristotelico more sit A. in interciliis oculorum hic sit B. in extremis hic naribus C. hic mento sit D, vertex E, gula inferior G, mutetur inde prospectus, ad medium usque horizonta tollatur, dirigaturq; acies in signū hoc, ubi sit litera S. hoc modo. Ducatur nunc linea directa A B, ad S, sic: reliquæ itidem suo intervallo similiter sic. En ut perpendicularis, quæ modo fuerat nunc obliqua, quin & cæteræ partes intra suas continebuntur lineas, sic. Simili etiam modo & hanc alterā M. Catonis in despectum, suspectum, aspectū, ex dimidio, sesqui oculo, Vultuvè toto, diverterimus in mille varietates. Sed rerum omnium similitudines, quemadmodum ex concisionibus reddendæ sint, in aliam diem transferemus. Est enim maximè, ut mihi quidem videtur, negocii satis mihi nunc sic eam vobis breviter significasse. Atque equidem videmini nescio quid aliud agere, vereorque ne jam permolestus esse acceperim. Sed quandoquidem cœpistis obdurate, mihi de Statu motuque pauca quædam hoc loco dicenda. Status igitur, unde Statuæ dictæ alii sunt recti, alii flexi, alii verò & obliqui recti status

tus ii sunt, qui sui natura constabunt, nullamque omninò vergent in partem ut cum astamus. Flexi sunt, qui primum à rectitudine declinaverint, ut cum proni supinive accumbimus. Obliqui vero, cum aliquo facies avertetur, membraque ad actionem distorquentur, quorum omniũ certissima ratio his ipsis continebitur finibus, quos hic effectus comprobarit. Omne quidem corpus, nisi extrema sese undique contineant librenturque ad centrum, collabatur ruatque necesse est. Stantibus itaque sic nobis pede in uno, si quo mutabit corpus, declinaritque à recta linea caput plus pede, necessum concidere. Quod in iis videri manifestissimum potest, quos Græci σχοινοβάτας nostri haud minus inepte Funambulos dixere. Illorum enim corpora sic librantur, ut si quam in partem inclinatint, jamjam ecce casuros speramus. Sin verò vertatur in dextram facies, perpendicularem ipsam ab extremo nariumlineam, dextri pedis quo semper inniti solemus exteriorem nodum non progredi. Aut si in sinistram, interiorem sinistri vix attingere. Sinistrum verò pedem non longius ab dextro ire quam pedis unius spacio. Motuum verò neque enim quæ à principibus philosophiæ, ipsoque Platone nostro dicta de statu motuque sunt, repetenda nobis ipso in loco duximus. Quidam sunt primi, ut cum incipimus moveri. Quidam medii, cum intra initium finemque versantur. Quidam ultimi, cum ad finem ferè pervenerint, nec dum firmantur. Si enim firmarentur, status quidem dicendi essent, non motus. Quare & illi status laudantur, quei vel à moribus facti videbuntur, vel in motus transierint. Motus præterea aut sunt faciles, aut violenti. Faciles motus sunt, qui remissa nulloque fiunt conatu, veluti cum deambulatur. Violenti sunt, qui vires conatusque vehementiores exprimunt, veluti cum accurritur, Cum trahitur pellitúrque huc versus & illuc. Ejusmodi sexcentæ sunt varietates. Alii fiunt huc illuc in rectum, alii in dextram, alii in sinistram, alii feruntur in sursum, alii in deorsum. Est autem uti status & motus, ita & ocium. Ocium vero alterum est liberale, illiberale alterum. Liberale, est veluti cum philosophos mortem commentantes, uti apud Aristophanẽ Socrates est, in cista suspenderimus. Illiberale vero jam dudum in omniũ pictorum consuetudinem venit. Præcipuèq; solitum fieri à Mantenio nostro, ubi negligẽtes famuli modo accumbunt, modo dominorum imperia deosculantes expectant, modo inertes, stupidiq; manent. Quod opportune factum si fuerit, jucunditatem simul atq; ex varietate gratiã afferet. Sed enim superioris perspectivæ species, quas tamen de Hermogene mutuabor Regi tuo, potissimũ duæ σαφήνια cum scilicet spectantium oculi quadam afficiuntur perspicuitate. Sic in medio classes æratas actia bella cernere erat, totumq; instructo Marte videres fervere Leucatem, auroque effulgere fluctus. Itemq; illud, Namque videbat uti bellãtes Pergama circum, Hac fugerent Graii, premeret Troiana juventus, Hac Phrygas instaret curru cristatus Achilles. Et ἐνεργείαι cum videlicet ex ornatu quæque suo ac decore placent. Sic: Sævit in medio certamine Mavors celatus ferro. tristesq; ex æthere divæ, & scissa gaudens vadit discordia Palla. Posterioris autẽ hujus tres, ἐνάργειαι, Quando scilicet ex ea re quòdq; præcesserit, quodque fit, evidentissimè repræsentatur, Sic: Et versa pulvis inscribitur hasta, leviq; patens in pectore vulnus. ἔμβασις, cum quid ex ea ipsa re futurum jam sit commonstratur, Sic: Constitit in digitos exemplo arrectus uterque. Manet imperterritus ille, hostẽ magnanimũ operiens, & mole sua stat. Ἀμφιβολία Quoties dubium fit, quæ medio locata res est, huc potius an illuc referri oporteat, Sic: Lora tenens tamen, incertum enim videri posset, id ne sit quanquã hæreat curru resupinus inani, an quanquam cervixq; comæque trahantur per terram scilicet inter illas media. Vt enim altera manifestiorem quæ nondum acta est, rem facit. Altera futuram ostendit. Ita & hæc rem utrinq; dubiam proponit, quod in Polignoto Thasio pellaudarunt. Fertur is militem ita pinxisse, ut dijudicari haud ullo sanè pacto potuerit, conscendere mallet miles equum, an mallet equo descendere miles, quam rem & ipsi nos Sculptura nuper imitati sumus. An non Homericũ illud glauci, Ante alios semper magnis excellere rebus, ha-

bere

bere in animo ſemper debebimus? Item & νοήματα, quoties plusquam fiat intelligitur, cujus generis fuiſſe ajunt picturas Protogenis ſic, Trunca manum pinus regit, Demiſſum lapſi per funem. Indutus at olim Demolos curſu pallātes Troas agebat. Sed in omnibus hiſce præterquā in Amphibola unico hoc ſemel Poetæ, nam qui apud Sculptores noſtros invenias? exemplo contenti erimus, Intextusq; puer frondoſa regius ida, Veloces jaculo cervos curſuq; fatigat. Acer anhelanti ſimilis, quem præpes adida Sublimen, rapuit pedibus Ionis armiger uncis, quæ rogo Enargia? Quid vero & hæc quæ ſequitur Emphaſis? Longævi palmas ne quicquam ad ſydera tollunt cuſtodes. Quid verò & hoc poſtremum? Sævitq; canum latratus ad auras, quam multa ex eo intelligentur? Pueri certe ſpecioſiſſimi patientiam, Intemperatiſſimi raptoris incontinentiam qui nec ſtragula quidem expectarit, ſed jam de Graphice ſatis. Altera verò Ductoriæ pars quam ψυχικὴν, h.e. animationē vocavimus. Sed quidem μίμησιν continebitur, h.e. imitatione, Cujus tanta, ut mihi videtur, vis eſt, ut vel ſolam eam poſſe Sculptori ſatis eſſe affirmarim. Ecquid tam multa? quàm anguſtiſſimis ecce terminis Sculpturam finivimus, quam facile ecce viam commonſtravimus? Certam, brevem, antiquiſſimam, & quæ ſola Lyſippum eousq; perduxit, ut ab alio ſe effingi etiam edicto vetuerit Alexander. Credendum eſt enim oſtenſam hanc ſibi ab Eupompo pictore, ac vere Eupompo viam tenuiſſe ſemper, neq; ab ea unquam divertiſſe. Ille etenim quærenti Lyſippo, quem potiſſimū artificem ſequeretur commonſtrata multitudine, reſpondiſſe fertur, naturam eam imitandā, non artificem. Nos quoque hortamur, admonefacimusq; identidem omnes qui Corynthii, non Tuſcanici eſſe cupiunt, ubi corporis circumſcriptionē fecerint, remq; ad geſtus Symmetriamq; perduxerint, naturam ipſam diligenter inſpiciant, habeantque & elegantiſſima & pulcherrima corpora. Nam quod Zeuſis Crotoniatas docuit, Perfectam in uno corpore pulchritatem haud facile invenias. Si nudos inquam fecerint nuda & quos voluerint geſtus aptiſſime imitantia, unde ſingulorum membrorum junctūrarum, nervorum, venarum, rugarumq; paritio-

ritionem ſuum opus deducere poſſint. Scio quid ridetis. Arguciſculi eſtis plusquā ſperaram, Alia quidem apparēt in Herculis quoniam Hyle non licet tergo, lacertis, pectore, cruribus ac toto deniq; corpore, hydram conficientis, alia cum Antheo luctantis Alia tauro cornua diſſipantis, Alia aliter agentis, Dulciter tamen, ac non uti ab eo factū eſt, qui Colconū ad Pauli nuper poſuit. Ille enim ita, ut ajunt, cruditer equum imitatus eſt ut non aliud quā denudati equi facies videtur. Sed ſatis quidē ut arbitror à nobis dictū eſt, de ea parte quam maximam putavit Donatellus, deſignationem, ac ruſticioribus verbis, Quæ tamen ſi penſitentur, dexteraq; adjiciatur, ſanè quam pulcherrimum opus efficient. Nunc verò de altera parte dicendum eſſet, quam nos χυμικὴν, ſive fuſoriam nominavimus, quæ quoniam & fœda & caliginoſa eſt, eam ſi videbitur, prætermittamus. Non enim cera, non buxus, ſed creta, ſed ſtercora, carbones folleſque tractandi. Movenda Lipaxenſis officina, Exercitandi Steropesque, Pyracmonque, Ac ſatis dudum eſtis hoc ſermone noſtro defatigati. REG. Niſi tu dicendo, nos quidem nequaquam ſumus audiendo, ut pro utroque agam. LEO. Perage nec jam cauſati occipias. Tum ego ſic. Chimice unde infamis illa omnibus uſitatiſſima ſeculis ars dicta, quæ circa metallorum exalterationē verſatur, in duas à nobis dividetur partes, in Formarum confectionem, & in metallorum informationē. Formas autem nunc eas intelligimus, quæ ſpeciem de cera ſuſcipiant, contineantque, ac poſtremò tandem fideliter reddant, in omnibus ceræ potiſſimum natura conſideranda, nec fiet tenax, ne terrea, ne turpis. Mollitur deinde, ſubigiturque tomento vel ventre equino, pari portione, quoad neutrius diſcretio fiat, additis interdum cinerib. lateritiove pulvere. Deſiccatur, eraditur, excribratur, rurſus perfuſa aqua luteſcat, neq; durius neque mollius. Dicerem quid prima, quid ſecunda quidve tertia ſit illinitione obſervandum, quemadmodum poſtremo ferreis vinculis cogendæ quemadmodum decoquendæ humanæq; ſint formæ, niſi conſulto vos ipſa videre quam audire malim. Atque equidem puto vos in officinis iſtorum, qui bellicas murorū machinas atq; æra ſonantia fun-

dunt interfuisse. In metallis vero ipsis informandis diligentior prorsus erit ratio adhibenda, ne chimisticarum elogio, operâ simul & carbones perdidisse videamur, in qua quidem re summũ erit, metallorum naturam cognoscere, atque ubi delicuerint ebullierintq; informare. Neq; verò est quod Physiologica nunc adducam, vosque ego doceam quæ sit auri, argenti, æris, stagni, ac cæterorũ natura. Quidvé ex horum confiat permixtura. equidem nolo noctuam Athenas, aut videri Chimice sciens. Intelligendum tamen æs temperari solere multis modis. Alia enim utuntur temperatura campanarii, Alia & nos. Quæ scientia defuit Donatello. Nunquam fuit ipse campanariorũ usus opera semper. Illorum temperatura, vicenæ interdum, & ex qualitate æris, trigenæ libræ stagni in centenas æris. Nostra verò aut statuaria, aut Tabularis, aut Sigillaria. Statuaria hæc, duodenæ stagni in cẽtenas libras æris, tertia parte collectanei. Plumbum quidem ipsum æri non admiscetur. Additur tamen plerunq; ad colorem, nigri plumbi portio decima. Argentarii verò id enim est albo nigroq; pariter mixtis, vicesima, colorem contrahet, quem dixerunt germanicũ. Plumbi nigri duodecima addita Cyprio purpureum. Tabularis hæc denæ libræ stagni in cẽtenas æris. Sigillaria verò hæc, funditur æs collectaneum longo usu perdomitum, simul & orichalcus pari portione, in singulas libras additis interdũ binis unciis stagni, interdum si tutilus quæratur colos tutia. Nam si albus, Sic. Collectaneum æs depurgatum fundito, arsenici nitriq; defumatorũ terras uncias in binas in ejus æris libras, frustillatim conjicito, obturatũ in vase percoquito, postremum infundito, dealbescet sic in speciẽ argenti. Si post Noricas fornaces nobis ferrum eliquaretur, commodius plurima fieret colorum in ære diversitas. Ac si equidem Aristonidas, qui cum vesani Adamantis filiũ præcipitare volentis, furorem & mox præcipitato illo residentis pœnitentiam vellet exprimere, ferrum & æs miscuit, ut ejus rubigine per nitorem æris relucente, rubor exprimeretur verecundiæ. Pleriq; tamen inventi, quei affirmarent, Si ferri scobẽ subtilissimè delimatam, arsenico pariter saliq; permixtam ardentissimis fornacibus diem totũ calcinatam

natam feceris, adeò permolliri, ut argento atque ære facilius colliquari possit, rursusq; obdurari, si candens intingatur aqua frigida. Liquatũ æs emendatur sale tartaroque. ebulliet, ipsoq; in jactu depurgabitur à Scoria, injectis laciniis lini ceratis oleatisque. Ebullitionis autẽ præmaturæ signum nonnulli dixerunt esse furfur injectum, si paraccẽdi statim non effumando videatur. Pleriq; dum Scoriam fecerint expectant, frustrà vero speratis, ullo quos vis artificio, recte informari metallum posse, nisi jam decoctissimæ prius formæ, suas uti, quodve oportebit spiramentorum emissuras habuerit. Sed hæc audiendo aut parũ prosunt aut nihil. Igitur ad officinã, Ac si qua id ratione verbis explicari posset non de ullo melius quam de poeta cognoscetis, cum sic ait: Striduntq; cavernis, Stricturæ calybum, ac fornacibus ignis anhelat. Fluit æs rivis, auriq; metallum. Vulnificusq; calybs vasta fornace liquescit, ingentẽ clybeum informant. Sed quoniã sæpius per imprudentiam evenit, medio ut jactu metalla defecerint, multũ enim facit ne id ipsum accidat si scierimus quota metalli cujusque portio correspondeat Argillæ, ligno ac ceræ. Ponam hoc loco quæ inveni ab aliis tradita. Singulis libris Argillæ correspondebunt novem æris, Ligni faginei XIIII. Ceræ verò VI. Æris albi VIII. uncia & semis, Cypri IX. drachmæ III. Orichalchi IX. unciæ II. ac semis, Stagni VII. unciæ X. drachmæ IIII. Argenti XI. unciæ VI. Plũbi XII. unciæ IX. Auri XIX. unciæq; tres, ut drachmæ novem efficiant unciam unam. Nonnulli in quadratas formas cubitalis undiq; mensionis DII. mill. pondo æris dixerũt infundi oportet. Sed quique sibi homo prudens rem omnem certam faciet experimento, antequam fundat. Si tamen meminerimus, semper meliorẽ esse conditionem eorum, quibus res supersunt, quam quibus desunt, multoq; semper oportunius hoc esse, ut demi possit, quàm ut addi oporteat. Nam quid ego dicam, de commissuris, Stultissimũ quidem existimo, ubi res semel integra fieri poterit, in frustra disjungere, ut iterũ jungas. Si tamen ita necesse fuerit. Mihi quidem eis in triangulorũ speciem fieri in hunc modum placeret: Nam & pertinacius hærebunt, & dissolventur temere nunquam. Sed: REG. Sed

istud tuum memineris. Quæso cur antiquam & infamen feris artem? Chimiam? Operæ precium, Ego tum inquã Regi. Ferunt illam Arietis auream, ad quam cum delectu Arigivum heroum manu, celeri provectus: est Iason Argo, non Pellem ipsam, uti ex hoc eo Poetæ finxerunt, Sed arietinis chartis fuisse librum, qui conficiendi auri & argenti rationem continuerit. Ejus verò artis uti & cæterarum omnium innumerabilib⁹ penè seculis peritissimos dicũt fuisse Ægyptios, ac longo post tempore Diocletianum Cæsarem ob proximarũ rerum in ea provincia suspitionẽ conquæsitos undiq; artis illius librosomneis cõburi jussisse, Nequa divitias compararẽt, pecuniarumq; copia fidentes, Romanis aliquando Ægyptii bellum inferre auderent, atque ex eo publice semper habitam flagitiosam, Sed si unquam, nunc certe flagitiosissimã, quæ perfida plerosq; jam regnaturos, jam mendicare coegit. Nunc autem ad, Sed, illud nostrum revertamus, jamq; ad commodissimam Sculpturæ speciem Ἐκτυπωτὴν, quæ dici à nobis efformatoria potest, pertrãseamus. Nam de tota in universum Sculpturæ materia satis jam dictum videri velim. Tractatur autem ea quadrifariã. Siquidem Creta, Gypso, Cera, & pulvisculo conformamus. Creta sic. Argillam ipsam fictilem accipito, in aquam colliquefacito, quod subsederit tenuius, ad solem adfurnum aresacito, in pulverem redigito, Excribratum paulo durius impastato, mox quod volueris sigillum ea semel imprimito & siccatum figlina concoquito. Ita campillũ etiam efformaveris. Gypsó sic. Illud vero calcis species est ajunt in Cypro & Thebis fodi, sed nihil refert, dum Bononiensis Appenninus mirum quàm in ea urbe Gypsum abundat, dum & Alpes id nobis sufficiãt. Ejus autẽ triplex est species marmorosa, gleborsa, & aluminosa, Marmorosa quidem, utilior, nam & scalpitur ad Statuas, & suum morem decocta pertinacior. Mirabilem ea nobis usum præstitit nuper ad lacum Sebinum, quem nunc accolæ ab oppido quod ab ejus uti arbitror portorio nomen acceperat Gypseum, uti & ab Ardea Benacum, etiam corruptè vocant. At quanta me nova voluptate affecerunt illi lacus, illa ejus provinciæ quam qu idem oppidulatim peragraram jucunda fœlicitas. In Ethru-

Ethruria quoque ex eo Gypso toreumata mirati sumus, cum ex Alabastrite, viderentur, tantus erat lapidis illius nitor, splendorque. Aluminosa verò si polluxeris, ad id quod volumus, longè commodior nã de altera nihil oportet, decoquitur furno lente calido, teritur furno lente calido, teritur pilis ligneis excribraturq; statim ut tepescente aqua permoduerit, superinfunditur, ubi peraruerit, tollitur. Quod fieri salva re nunquã poterit, nisi prius oleo illitum aut plus semicirculo fuerit occupatũ. Nam primum hoc deinde & illud efformabimus, quo ad integrã rem habebimus. Continebunt autẽ sese frustula firmius, si quod erat prius, excavatũ inveniatur à posteriore, ut in cõmissuris. Emendabitur autẽ hujusmodi formula ad ceream rursus plumbeamve effigiem hoc pacto. Desiccato rursus sed forno calidiore. Quoties oportuerit intepescentẽ aquam, si sis cerã immissurus immergito. Si cavitas placuerit post paululum ubi infusa fuerit, effundito. Si verò plumbũ proderit, eam optime deficcari: plumbumq; ipsum nigrũ albo quod Marchasitã vocant & Antimonio temperari, xii. portione. Ceram autẽ efformabimus sic. Liquefiat primũ, mox ad eam rationẽ quam diximus superfundatur, vel si commodius fiet, in eam ipsa re, commergatur emergaturque, donec amictu vestita fuerit crassiore, frequentius defecetur acie tenuissima, adaperiatur, jungaturque. Ad soliditatem infungitur Gypsum, Ad cavitatẽ verò quæ sola in his admirationẽ habet, etiam uti docuimus cera, sed si prius illam humor circumfluxerit liquidus. Cujus quidem inventi ratio, & si in uno Architecto quondã constiterit, jure tamen quando illius cum ipso deperierat, mihi debebitur. Cavitas vero ipsa, ubi cretatum fuerit extrinsecus, accipito tanquam de Gn. Flavio rem secretissimam, replebitur Argilla, quam edocuimus tomento & equino ventre subacta, mixtis pulvere lateritio, interdum molari, interdum vitreo, sive etiam adustarum formarum calce viva, cineribusve. Pulvisculus verò qui optimus sit, diu quæritari à multis solitum. Is autem aut nativus est, aut factitius. Nativus qui per se nascitur, qualẽ nos nuper in agro Cremo-

nensi deprehendimus. Factitius verò qui fit, fit autem de ea materia, quæ vim ignis omnē sustinere ac pati possit. Quare non unus habetur, alii enim ex pumice, alii ex ossibus deustis, alii ex scobe ferri, alii ex colliquato in fornacibus latere, alii ex Smirillo, alii ex rebus aliis. Ego verò omnes modis omnibus expertus aptissimè utor, vel ferrugineo, vel lateritio. Ferrugineus fiet sic: Accipitur Scoria, sive etiam scobes ferri, subtiliter delimata, purgatur, impubis pueri urina acerone semimenstri spacio perfunditur. Aduritur fornacibus, teriturq; pilis. Itemque id rursus ac rursus dum ad eam tenuitatem pervenerit, qua tactum effugiet, mox quando opus erit, humectatur aceto aquave salsa. Lateritius autem sic. Lateres ardentissimis coliquati fornacibus simili modo teruntur, simili etiam modo minutissimus pulvis factus inebriatur. Conformatur stationibus, admoveturq; prunæ, ut nihil humoris permaneat, deniq; per ignescat. Quod si puerilem tantum urinam ebiberit, nullo fere opus erit igni, vix pauculo calore candescensque hoc naturæ miraculum considerate infusum metallū non ampulescet. Non parum autem contulisse judicabitur, antequam metalli jactus fiat candelæ fumus subjectus, præsertim si res ita subtiliter celatæ fuerint, ut facilè injuriā pati posse videantur. Dicerem quidem hoc satis esse, nisi exornandus quoq; nobis esset & finis. Constat autē finis perfectione, perfectio ipsa omnis perficitur, extremorū dimotione, & pulchritudinis inductione, atqui extrema, ut in cæteris rebus sunt, excessus & carentia. Excessus scapello tollūtur & lima. Carentia verò medicabitur adjicione & adjunctione. Adjicione hoc modo. Terebratis cerebro lateribus inducatur, uti oportuerit, cera, cretetur deinde, mox & emissa cera, & Argilla decocto, infundatur sui generis metallū. Adjunctiones verò cum adglutinamus, Sic colliquatur ut mos est fictili vase oricalchus, additurq; singulis ejus libr. uncia arsenici, teritur deinde in mortario æneo, qui pulvis permixtus boraci, inspergitur commissuris, apponiturq; igni ad eliquationem. Conglutinantur, plerunq; æra, stagno & pice, inductis ferro candenti. Pulchritudo autem omnis perfecta videbitur levatura & coloratione. Levatu-

vatura cum delimationis asperitatem tollimus cœlo, nitoremq; superinducimus pumice, stylo calybeove dente, quē bronitorium vocant. Coloratione verò cum suum cuique parti colorem damus. Ideoq; vel jactu ipso ex scientia Chimices quam præmonstravimus, vel post jactū, hoc modo. Albus color præcipuus, argento, sic. Deducitur argentum optimum in brachteolas tenuissimas, malagmaturq; vino, deinde cum aqua nitri & aluminis ferreo superinducitur stilo, mergitur olco, ferveſcenti ad assationem, imponitur prunæ candenti. Ebullitur in aceto, sale lotio, tartaroque, levaturq; rursus bronitorio. Aureus color ipse fit præcipuē auro, eadem ratione qua & albus argento, nisi quod in oleo perfrigi non oportet. Id vero si temperatura caruerit stagno, aliter enim res agetur ipsorum brachteis. Fiunt & hujusmodi colores multis aliis modis, qui quoniam nec ita perpetui, nec meliores, ne curaverimus. Croceus autem proveniet in prætextis color. Si per extersum sigillum candenti superimponatur laminæ, quo ad eum ipsum videbitur colorem contraxisse. Frigescatque paulatim. Viridis si perhumectetur aceto salso. Niger, aut ex liquidæ picis vernicatione, aut ex palearum, si prius emaduerit, suffumatione. Hi quidem nunc sat erunt, dum captabimus & reliquos. Nam ipsi oculorum ac pupillarum colores, de India Muranoque petendi. Sed de india sanè in sua illa Minerva Phidias, de Murano nos & commodius & fortasse etiā melius.

Sed nunquid Cælaturam ipsam præteribimus? Non quidem, ut ejus rationes, quas omneis ostendimus, explicentur, Sed ut quid sit, cum cælaturā dicimus intelligatur. Est autem Cælatura, ut uno verbo expediam, cum de plana superficie exculpimus effigiunculas excavando In quacunq; id fiat Regi materia, quæ persistat eadem semper, neque imagines plusquam ex dimidio prominere videantur. Potissimū tamen metallica atq; argento in Scypis ad similitudinem hujus, quod circum supraq; complexu terram continet cavi cœli, quod à Pacunio dictum, uti plemmyrium unde sum à Virgilio. Sed alterum ornatu dedit appellationem huic parti, alterū obtectu. Decultationi. Species ejus: Anaglyphice, quando exculpitur, ut extent imagines. Dia-

glyphice, quando insculptur ad impressuram. Encolaptice, quando laminæ cudendo efformantur, quæ maxime ad aurifices pertineat. Item & Toreutice, Cum vasa, fibulas, cãdelabra, & ejusmodi accedimus. Latine ut video proprie dicta politura. Nam quum nostri à τορνω rotundum fecissent, quemadmodum ab ἁρπαγως rapacem. Et à μορφα formam. Cum deinde τορνύειν vellent, non rotundare quod ita oportebat aliam significationẽ habere. Sed ab iplis verticibus in quibus circumvolvitur tornus, polire dixerunt. τορνίειν ipsum reddentes, quod plerunq; ad elegantiam referri solitum, idq; & posteriores tornare. In hac plerosque nobilissimos honestissimè versatos scimus nam quantum hoc muscas Consectatos nostris principibus præstitisset? Item & Ἐγκαυστικὴ, quam injustoriam appellabimus, quæcunq; ea olim fuerit pingendi ratio cera in parietib⁹ postquam nec apud Græcos ipsos Grammaticos satis constat, & jam pridem exerceri desuevit de hinc eam intelligamus quæ ipso tractatur Encausto, quod Smalton vocãt, usitatissimam, cum videlicet argentũ, æs, vitrumq; pingimus, id n. Pantochromaton hoc modo. Teritur subtilissime in pulverem. Superinfunditur deinde aqua stiloque, in pingendam partem inducitur. Postremò ad eliquationẽ aduritur. Quid verò plura? Ventum ad supremũ est, Diximus de affinitate quam habeat Sculptura cum literis aperuimus qualis esse deberet Sculptor. Recensuimus, unde ubi, aut qua de causa cœpisse potuerit, Declaravimus materiam Statuarum ostendimus quot essent Statuariæ species. Diximus Symmetria, de Lineamentis, de Physiognomia, de Perspectiva, de Animatione, Chimice, Efformatoria. Exornatione, postremò & de Cælatura, Equidem nihil arbitror restat, cur non satis à me factũ esse poteris, cum non Sculptoriæ modo unius artis, sed totius Statuariæ rationes omnes explicaverim. Nempe huc tendunt, huc referuntur & reliquæ, non aliter quam scientiæ & artes cæteræ ad ipsam philosophiam. Plaustice sic. Fiunt de Argilla in eum quem diximus morem effigies, Arescunt: figlina decoquuntur. Postremò quoniam id membratim conglutinantur colla è viva calce & albumine ovorum, continuo statim, inducuntur & novissi-

novissime colores linaceo nuceone olivo, quanquam, nec Pictoribus debere cœperint in Etbruria Plaste, Encausto enim devitrant. Proplastice autem dicitur, cum futuri operis formam Plastes creta finget, veluti cum Sculptor cera, protypus & Architectus ligno modulus, Maximo hæc olim in usu, nihil fere moliebatur, nisi ex Proplastice, ex ea enim & futura deprehenduntur errata, & nullo priusquam fiant incommodo castigantur, multòque aliter quam isti nostri opinantur, ipsa res citius expedietur propositio jam exemplari quod imiteris. Tomice verò, simpliciissima omnium species, ut quæ ipsa tantummodo sectione Glutino & picturatione perficiatur. Glutinũ autem ejus Ichtiocolla, Item calx mastice caseusque pari portione, simul omnibus contritis Paradigmatice itidem, Exprimuntur creta cerave liquenti effigies, Gypsum mox infunditur, Deinde calida aqua, ubi dissolutum saponem feceris, ad marmorei nitoris gratiam inebriatur. Defectus autem Gypso rursus addito castigatur. Colaptice itidem Scalpello perficitur lima terebroque, ad nitorem postremò ipsum lympha & punice. Glutinum verò si quid forte acciderit hoc, mansam masticem, atque in ceræ modum perdomitam statim ad applicato. Item & si picem, armenium, ceram admiscebo. Sed quo res expeditior fiat, in Colaptice hæc observanda, lapidem dimetiri in longum septẽ pedã, perpendiculari quam discriminatricem appellavimus linea medietatem definiri. Ex intersecatu semicirculorum planum designari. Hinc atq; inde pedali mensione corpus in latum definiri. Circino & oris & oculorum posituram deprehendi, altero pede statuto in perpendiculari, & altero ad extrema perducto. Sed in Academiam hanc nostram ἀγνωμίτρητον nemo. Harum autem originem sanè quondam olim de Aegyptio sacerdote Solon acceperit, nobis quidem semper puellulis non licet. Plasticen tamen ipsam Chaldæus Moses antiquissimam est testatus, haud quidem inepte, cujus author Deus ipse primus extiterit, neque verò aliter videri debet, quàm optimum eum fuisse Plastam, qui hos tam admirabiliter mundos ita formavit. Tanta verò Plastices hujus authoritas, ut cã nonnulli Sculpturæ

pturæ matrem appellarint, Fertur & à Dibutade Sicyonio. Corynthi ad inventa, deamantis filiolæ beneficio. Floruerunt autem in ea Prometheus ob artis excellentiã dictus, raptum de cœlo vitalem igniculum limo imisisse Rhetus, Ideochus, & qui primus invenit ferrum fundere atq; ex eo statuam facere Theodorus Samii. Plastices etiam inventores existimati, Eucirapus Eugrammus, Lysistratus Lysippi frater, Demophilus Gorgasus, Calchostenes cujus officina ceramico vico nomẽ dedit, Possunius qui pisces finxisse dicitur, ita ut à veris non facilè discerneres. Arcesilaus cujus Proplasticen pluris ajunt venisse solitã, quam cæterorum opera. In Italia laudatissimus quondam Turanius Fregellanus. Nostra ætate Vitus Mazon Mutinensis, quẽ nuper nobis Gallia cum plerisq; rebus abstulit. Vxor etiam ejus finxit & filia Lucas Rubius Florẽtinus ex aurifice Plastes, cujus inventum, fictile opus Encausto pingi Andreas ejus ex sorore nepos, nullis quos ego viderim posterior Naturam existimes ipsam fecisse quæ hujus manus effinxit. Nã quid ego vobis commemorẽ, Nannum Miniatorem, Domitiũ Figulum, & Andream Crispum Patavinos? Ligno vel Vergiliano carmine notissimus Dædalus rudis quidẽ artifex, ut, qui à posterioribus longè fuerit superatus, sed cujus opera cuncta divinum quiddã habere videbantur, Clarus & in Samo Smilis Aeginensis, quem Callimachus Scelmin appellavit, Dædali ipsius ætate, nec tamen & pari existimatione, non quod inferioris esset arte quã Dædalus, sed quod minus magnis rebus usus, nullo facinore, nulla regum familiaritate, nullo errore, nullis & calamitatib⁹ insignis. Athenensis quidem ille sororis filium interfecit. In cretã venit, Minoni & filiabus aliquandiu jucundissimus fuit. Sed cognita mox ejus à rege nequitia, in carcerẽ est detrusus. Inde cum filio simul effugiens, Inycum Siciliæ urbem ad Cocalum applicuit. Siculi belli adversus Cretenses causa fuit, scilicet cum Minone repetente & Cocalo perdenegante, à Cocali filiabus in tantum amatus, ut de Minonis morte in ejus gratiã deliberarint. Itaq; per omnem Siciliã dispersa, in Italiam quoq; ad nos ejus fama pervenit. At verò hic Æginensis, angustiore patrimonio, nisi semel in Samum vectus,

ctus, vix reor illic ubi egregiam illam Iunonis Samiæ Statuam fabricarat, notus. Ebore nunquam satis elaudatus Phidias, & si fabulæ credimus Pigmalon. Gypso autem ob tenue artificium, nullus. Marmore quidem innumerabiles, sed quorum mihi memoria potior, hic Attalus Athenensis primus, ut putatur, in Græcia Statuarius. Sed certe constat initio multis antea seculis & templa & Statuas à Danao dedicatas, Dipœnus, Scylis, horumque discipulus Dorcylidas, Mædon Dorcylidæ frater. Theocles, cum Egylo patre Lacedæmonii, Dionysius Argivus, Simo Aeginensis, Cleon Scyconius, Malas Chiu, cum Miciade filio & Antermo nepote, Phidias ipse Athenensis, Alomam, & Agotacritus discipuli. Cersatides Calaber, & Bupalus uti opinor, Pharæates templa Deorum architectari & Statuas bonas effingere. Fortunæ simulachrum Smirnæis faciens, in vertice polum, in altera manu Amalthiæ cornu ab Græcis habentem fecit. Tantum ejus Deæ vim & facta declarans, quantum non ipse Homerus intellexit, qui connumerans eam in Cereris hymno tanquam unam filiarum Oceani, nihil præterea aliud addidit, quantumne deinde vix Pindarus, qui alia multa in fortunam dicens Pherepolin appellavit. Scopas, Timotheus, Bryax, Leocates in Mausolæo cælando æmuli, Praxiteles infinitis prope operibus. Sed potissimum Venere Cupidineque deamatis clarissimis Archesitas Cleomenes, Minestratus, Eutychides, Philiscus Timarchides, Policarmus, Heliodorus, Lysias, Agesander, Polydorus, Athenodorus, Craterus, Pythodorus Polidectes, Hermolaus, Artemon, Timomachus, cæterorumque innumera multitudo. Sed elegantissimo Græco Epigrammate celebratur Timomachi hujus Medæa quæ videlicet amore saucia, natorum sanguine patris injuriam ulciscens, & servare & occidere velle videbatur. Id autem opinor hujusmodi.

Quod natos feritura ferox Medæa moratur,
Præstitit hoc magni dextera Timomachi.
Tardat amor facinus, strictum dolor incitat ensem,
Vult non vult, natos perderet ipsa suos.

In

In minimis autem operibus Myrmecides,& Callicrates admirandi, ulterius quadrigulam alis muſcuæ coopertam, alterius formicarum pedes, ita ſubtiliſſime ſcalptos traditum eſt, ut vix intenta propius acie pervideri potuerint. Noſtris verò temporibus ſcalpendo marmore inſignes habiti, Ninus, cujas neſcio, Nam ſemper hoc tantũ uſus eſt inſcriptionis titulo, Nini opus. Antonius Criſpus, qui cum vobis fuit familiaritas, Petrus inſubes, TuLLIuS atque Antonius ejus, filii. Sed ne ego TuLLIuM prætererim illaudatum. Equidẽ ni vereret viſum iri amicitiæ, non veræ laudi datum judicium de illo meum, dicerẽ profectò ſculptorum omnium quos ulla unquam viderit ætas præſtantiſſimum, neque indignis ornaretur honoribus, An quid non priora ingenia, priora & miracula rediere? Circumferebantur in pompæ morem Tarviſii epiſtyliorum coronæ, quas ille junior variis intereælarat foliorum ornamentis, Aderat Criſpus partim æmulatione quam tum patre Tullii gerebat, partim & tantæ novitatis fama permotus. Cunctis igitur admirantibus, qui tanta varietate fieri potuerit? nunquam prius è marmore coronas factas faſſus eſt, quam gladiolo id ita eſſe depræhenderit. Quod mirius miraculum huic comparari poterit? Prudentiſſimum artificem TuLLII cælatura deceptum Nec vero & frater qui cum ſumma eſt artis æmulatio laude minor. Sed & jure optimo laudatur in Bois CHRISTOPHORuS Gobbius in quo niſi unum hoc damnant, quod aſſuetus Herculeos artus imitari, eo quidem ſæpiſſimè paulo temerius utitur, Dignus & qui nominetur Brixiani prætorii Architectura & Cæſaribus CASPAR Mediolanenſis, Clarus & ipſe Magiſtophoro illa ſua Venere noſter Pyrgoteles. Laudantur & in Thuſcia magni quidem profectus, niſi admodum juvenis periiſſet, Betus Majanus, Michelangulus Bonarotus etjam pictor, ANDREAS SOVINIuS FRANCISCuS RuSTICuS Aere qui Sculptores claruerint prope innumerabiles, Coloſſorum autem molibus, ipſe inprimis Pidias ATHENIENSIS, qui & toreuticen adinvenit, Lyſippus Sicyonius, Pryaxis Lyſippi diſcipul⁹ Chares Lyndius, Romani Sp. CORNELIuS & NERONIS principatu Zenodorus,

dorus, In minoribus autem ſignis Policletus videlicet Argivus, non ut alii exiſtimarunt Sicyonius, Speciebus rerum concipiendis, quas phantaſias vocant, ſummus, quod etiam Antiphilo pictori aſſignarunt. Alchamenes Phidiæ diſcipulus, Heglias, Critias, Neſtocles, Policleti diſcipulus ARISTIDES, Cleon Sicyonius, diſcipulus Antiphanis de ſtirpe Policleti, Naucides, Leoncius, Cyclon, PYTHAGORAS Reginus. Item & SAMIuS, Myron Eleuterienſis, buccula nobilitatus, Butyreus Licius ejus diſcipulus, Euphranor in omni genere laudatiſſimus. Telephanes Phoccus, Praxiteles, nam & æra etiam fecit, Hyphicrates, Cephiſiodorus, DEMETRIuS Dynomenes, Phradmon, Dædalus, Euclides, Calamis, Canacus, Menechius, qui libros de arte ſua ſcripſit, Chereas, Cleſilaus, Eutyclides, Pyromachus Policles. Pyrrus, Syllanion, nullo mecum doctore nobilis, Naucerus, Niceratus, & qui etiam de ſua arte ſcripſit XENOCRATES, nam Perillus nullum impietate ſua nomen eſt meritus, Bedas, Phœnix, Stypax Cyprius, & Pentaleſius ATHENIENSIS, cujus equidem opus fuiſſe exiſtimo Aegireticam illam Minervam, cujus & vultus & pedes exebore, Reliquum ex auro partim in ſuperficiem ducto, partim ex arte Chimia facto. In minimis vero laudatiſſimi Pyreicus, & miræ ſubtilitatis artifex Theodorus. Invenio & Romæ laudatum Bleſanum Novium, qui miris Statuis urbem decoravit & orbem, ſed marmorarium puto potius quam Sculptorem. Noſtro quidem ævo multi, ſed qui præcipue nominantur, Laurentius Cion, Fores in templo Martis Florentiæ quæ ad Septentrionem, quæque ad orientem ſpectant cujus opus. Nam quæ ad Auſtrum, neſcio cujus Vgolini. Deſiderius qui NEAPOLI ſculpſit fores novæ arcis, Sculpſit etiam egregie marmora. Piſanus pictor in ſe cælando ambitioſiſſimus. Donatellus ipſe Cionis, ut putatur, diſcipulus, ære ligno marmore, laudatiſſimus. Plura hujus unius manu extant opera, quàm ſemel ab eo ad nos cæterorum omnium. Andreas Alverochius Donatelli, ſed jam ſenis æmulus, diſcipulo Chriſti latus pertentante nobilitatus, Cælatura quoq; ejus & pictura magnopere commendatur. Poſtremò

& ipse Alverochii discipulus Leonhardus Vncius, Equo illo quem ei perficere non licuit, in Bois maximo, pictura Symposii, nec minus & Archimedæo ingenio notissimus Florentini, ea nimirũ urbs semper fuit harum artium Mater Sed & Donatelli discipulus Bellanus tuus Leonice, inter hos quoq; nomen habebit quanquam ineptus artifex. Quin Bellani uti volunt discipulus Andreas Crispus familiaris meus, cujus inter Plastas quoq; mentionem fecimus podagrarum beneficio ex aurifice Sculptor. Cælatura vero insignes olim habiti Mentor, Acragas, Boetus, Mys, Antipater, Zopyrus, Scopas, Tauricus Cizicenus, Ariston. & Onychus Mithylenæi, Lesbocles, Prodorus, Pythodichus, Polignotus, Scinus, Physidonius Ephesius, Ledas Stratites, Teucer Crustarius, Pyrrheas, Stratonicus philosophus Canacus etiam Calamis, Tauriscus, Echateus, & præcipuam laudem gemmis consecuti, Pyrgoteles, Apollonides, Cronius Discorides, & qui Romæ Cælatura Clodiana omnes evicit M. Canuleius Zosimus libertinæ conditionis. Passim quidem nunc omnes, sed pauci propter quod commemorentur egregio aliquo opere insignes, nisi duo aurifices Charodoxus Mediolanensis, & Franciscus Furmus Bononiensis. Nam Severum Rhavennatem ideo ad extremum distuli, ut plenius laudarem, qui miror ad me hodie cur non venerit. Is mihi quidem videtur Statuariæ numeros omneis adimplere, Sculptor, Scalptor, Cælator, Desector, Plastes, Pictorque egregius. Nam si me hic nunc rogaretis, qualem Sculptorem velim, talem nempe ipsum velim, qualem, modo literæ adessent, Severum esse novimus. Erunt quidem & nostro fortassis beneficio multo complures, qui post me Statuariam omnem exornabunt. Interea vero danda sedulo nobis opera est, quando qua ratione Ligna, Lapides, Argillæ, Ceræ, Metalla, nobis simillima esse possint adinvenerimus, ne quod Socratem dixisse ferunt, eis potius nos similiores esse videamur. Hæc cum à me dicta essent, surreximus omnes, in ambulationem Leonicus, Regius in quietem, ego vero ad Calpurnium.

FINIS.